This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

KF16605

35

Dup

LIBRARY
OF
THE UNIVERSITY OF PENNSYLVANIA.
THE POTT LIBRARY.
CLASS 713.35 NO. 3

Prompt delivery. Moderate Prices.
Catalogues free.
Lippertsche Buchhandlung in Halle a. S.
(Germany.)
German and other Foreign Periodicals, Books
(News and Second-Hand) etc. etc.
supplied on the most Liberal Terms.
Specialty: Philology (Class. Orient. Modern.)
All orders carefully attended to.

VETERIS MEDIAE ET PERSIAE

MONUMENTA

221

DESCRIPSIT ET EXPLICUIT

CAROLUS FRIDERICUS CHRISTIANUS HOECK

BRUNOVICENSIS,

BIBLIOTHECAE REGIAE ACADEMICAE A SECRETIS.

COMMENTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA

AB AMPLISSIMO GOTTINGENSI PHILOSOPHORUM ORDINE PRAEMIO ORNATA.

Πάντ' ἐςὶν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον
Φεύγῃ τις, ὅς πράςει τοῖς ζητουμένοις.

PHILEM.

CUM TABULIS AENEIS OCTO.

GOTTINGAE,

E LIBRARIA RUPRECHTIO-VANDENHOECKIANA.

MDCCCXVIII.

KF16605

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY DEC 10 1956

F1405

VIRIS

GENEROSISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS

NICOLAO L. B. DE DECKEN

ET

CAROLO FRIDERICO ALEXANDRO
L. B. DE ARNSWALDT

AUGUSTISSIMO AC POTENTISSIMO BRITANNIARUM
HANNOVERAEQUE REGI

A CONSILIIS INTIMIS

ET

STATUS ADMINISTRIS

MAIORIBUS ORDINIS GUELFICI INSIGNIBUS ORNATIS

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE CURATORIBUS MUNIFICENTISSIMIS
ET SAPIENTISSIMIS

FELICITATIS PUBLICAE CUSTODIBUS VIGILANTISSIMIS

BONARUM LITERARUM STATORIBUS

EMINENTISSIMIS

PATRONIS ET FAUTORIBUS SUIS INDULGENTISSIMIS

HANC SUAM QUALEMCUNQUE OPELLAM

SUMMAE VENERATIONIS MONUMENTUM

DICAT ATQUE CONSECRAT

AUCTOR OBSERVANTISSIMUS

CAROLUS HOECK.

LECTORI.

Annus est et eo amplius, ex quo Amplissimus Philosophorum Ordo hanc meam qualemcunque commentationem praemio Regio ornavit; iam vero demum typis expressa prodit. Quod qui factum sit, paucis te admoneo. Quum in eo essem, ut opellam hanc prelis subiicerem, en! ex Anglia ad nostras oras afferebantur recentissima Britannorum in Persia peregrinantium opera, Malcolmii scilicet, Elphinstonii et Pottingeri, quae quidem licet pauca tantum ad nostram rem continerent, ipsis istis paucis commentationem meam egere nolui. Malcolmii liber idcirco haud negligendus videbatur, quod tabulis nonnullis aeneis monumenta exhibet, ab aliis peregrinatoribus vel omissa vel negligentius depicta; reliqui vero duo quum regiones peragraverint, antea prorsus fere nobis incognitas, ob id ipsum attentione sunt dignissimi. Ordo A. igitur rogatus facile mihi concessit, ut, quae continerent auctores isti, in usum meum converterem. Quae vero benevolentia ut causa exstitit, quominus statim prodi-

prodiret commentatio mea, ita novam temporis moram effecit aliud, quo nihil optabilius mihi contingere potuit et iucundius. Ab Academiae enim huius Curatoribus ſummis, Ordinis A. interventu, quod vix ſperaveram, impetravi, ut commentationi meae, haud iſto honore dignae, ex largitione publica octo adderentur tabulae aeneae. Quamquam igitur paulo ſerior, ornatior tamen prodiit; tabulae enim ex optimis monumentorum effigiebus, quas exhibent itinerariorum ſcriptores optimi et recentiſſimi, deſumtae, a Riepenhuſii artificis clariſſimi diligenti et perita manu aeri inciſae ſunt.

Scribebam ultimo Decembris MDCCCXVII.

PRAE-

PRAEFATIO.

Quaestio ab Amplissimo Gottingensi Philosophorum Ordine in annum MDCCCXVI. proposita:

"*Describantur veteris Mediae et Persiae monumenta, quorum aut apud veteres scriptores mentio occurrit, aut adhuc reliquiae supersunt, et ad quam aetatem quos auctores illa referenda sint, disquiratur. Persepolitana tamen, de quibus satis multa disputata sunt nostra aetate, breviter tantum recenseantur, numi plane excludantur.*"

Monumentum auctore Festo s. h. v. dicitur, a monendo, quidquid nos monet, sive monere potest rei alicuius praeteritae, ut libri, historiae, statuae, sepulcra, tituli, fana, porticus, ceteraque eiusmodi. Quo quidem sensu latiori quam plurima vocabulo isto comprehenduntur: quivis enim lapis vel lapicidae manum expertus, vel rudis adeo industriâ aliquo loco positus, aggeris tumuli, colles et convalles arte effectae, innumeraque alia monent te, vel monere possunt alicuius rei. Attentione digna ea omnia sunt, nec tamen pari ratione, nec uni eidemque consilio. Historicus et Geographus, qui terrae priscam conditionem velit cognoscere, nulla, quae ipsa regio, de qua quaerit, prae se fert antiquitatis indicia, vilis habebit et contemti. Aliter iudicabit artis peritus

tus et architectus, non omnia enim, quae curat ille, pensi habebit hic. Alia etiam sunt monumenta, quae acumen exercebunt eius, qui populorum antiquorum linguam investigandam sibi sumserit. Quo igitur sensu, quove ambitu, a nobis accipiendum est vocabulum "*monumenta*"? Ex parte docet ipsa quaestio, ex parte divinabis. Verba enim quae subiecta sunt: "*quorum aut apud veteres scriptores mentio occurrit aut adhuc reliquiae supersunt*", indicare videntur monumenta architectonica: aedificiorum rudera, urbium ruinas. Quibus tamen haud dubie adiungenda sunt sculpturae opera, sive ipsa illa architectonica iis insignita sint, sive disiuncta ea, e rupis superficie excisa, inveniantur: attentione enim sunt dignissima, et per ea luce saepe collustrantur, quae, vel coniuncta cum iis, vel in eorum vicinia, inveniuntur opera architectonica. — Sed alia quoque supersunt Persarum monumenta. Non numos intelligo, excludit enim eos A. Ordo. Inveniuntur passim in Persia artis opera forma minima, lapidea alia, alia ex aere fabrefacta, figuris et inscriptionibus insignita *), quae utrum disquisitione comprehendamus, nec ne, arbitrio nostro relictum video. Omitto et haec: ut enim ea diversa prorsus sunt ab operibus architectonicis, ita maiori iure de iis aget, qui de numis lapidibusque scalptis disquisitionem sibi proposuerit.

Gra-

*) Nonnulla horum monumentorum descripserunt WINCKELMANNUS (*Description des pierres gravées du feu Baron de Stosch. p.28.*, Winckelmann's *Geschichte der Kunst*, ed. 1809. I. p. 151.), CAYLUS, (*Recueil d'antiquités.* III. p. 49. Pl. XII.) et MILLIN (*Monumens antiques inédits.* T. I. p. 58. Pl. VIII.)

Gravissima adhuc superest componenda res: quo scilicet fine tota nostra instituenda sit disquisitio? Duplex, ni fallimur, in universum est de veteribus monumentis disquisitionis genus, historicum alterum, alterum quod artes sectatur. Potes de monumentorum auctore et aetate disquisitionem mere historicam instituere; sunt quoque, qui, in artis monumentorum indolem et naturam inquirere, solum sibi finem proponant. Licet coniungi poterit utrumque consilium, et necessario adeo in hac illave re coniungi debeat, alterum utique primarium habebis finem. Artis opera, nisi ita comparata sunt, ut eorum aetas et auctor vel omnibus constet, vel ex ipsorum monumentorum artis indole colligi oporteat, necessario historicam istam disquisitionem requirunt, ne, qui de artis indole quaerat, fundamentis egeat firmis solidisque. Cum aliarum terrarum, tum Persiae inprimis monumenta, per Britannorum operam, nostris temporibus magis explorata habemus. Quamquam haud contenderim, perfectam artis historiam ex iis, quae iam nobis innotuere, conscribi posse, in universum tamen de artis veterum Persarum indole et natura iam disquiri poterit, modo id praestetur, quod fiat antea necesse est. Nimirum de plurimorum Persiae monumentorum auctore et aetate vel fabulosa prorsus et rejectanea referunt peregrinatores, vel saltem in diversissimas abeunt sententias. Priusquam igitur illa de artis indole locum habere potest disquisitio, necessario requiritur de monumentorum auctore et aetate examen. Quae quum ita sint, eo consilio quaestionem nostram propositam puto, "ut colligerentur ea, quae de veteris Mediae et Persiae monumentis nobis innotuere, collectis vero iis

et

et descriptis, ad quam aetatem, quemve auctorem illa referenda sint, disquireretur; adhibita tamen singularum partium explicatione." — Non igitur artis indolem, sed historiam spectat haec mea disquisitio. —

Finis ille mihi propositus non solum monumentorum tractandorum rationem, sed totius commentationis ordinem constituit. Non chronologicum sed geographicum ordinem elegi; secundum diversas Persiae provincias opellam meam dispescui. Facilius enim hac ratione omnia, quae in unaquaque terra reperiuntur, artis opera uno obtutu comprehendas; singuli quoque monumenti perfectiorem tibi fingas imaginem. Non raro accidit, ut uno eodemque loco diversissimae aetatis opera coniuncta inveniantur: eorum alia aliis libelli partibus tractabit, qui artis historiam conscribere sibi proposuerit; vix vero hoc fieri poterit ab eo, qui inprimis studet, ut clara exsistat omnium, uno loco inventorum, artis operum imago. — Continet haec mea opella, quot capita, tot singulas disquisitiones, in quibus, pro diversa materie, diversam secutus sum tractandi rationem. Nimirum unam monumentorum Persicorum partem ex solis veterum auctorum testimoniis cognovimus, alteram ex peregrinatorum nunciis; sunt vero multa artis opera, quae tum ex illis, tum ex his nobis innotuere. In quibus quidem ita egi, ut, si plura per recentiores de iis prodita inveni, ab horum narrationibus inciperem, si vero per veteres plura constabant; ab his ipsis ordirer disquisitionem: collegi enim eorum, quae ad rem facere videbantur, loca omnia, ex iisque, quatenus fieri licuit, monumen-

numenti ſitum et naturam poſtquam effeceram, ad peregrinatores converſus quaeſivi, an, quae apud illos exſtent, ab his reperta fuerint.

Praemonenda de veteri Perſarum hiſtoria commentationi addere, e conſilio non duxi, ſingula enim ſi afferre velim, longius me a ſcopo deductum iri ſcio, generalia vero ita percognita ſunt, ut iis immorari nolim. Perſarum artis opera in tot iure diſtinguuntur tempora, quot hiſtoriae Perſicae vulgo habentur periodi: Achaemenidarum, Arſacidarum et Saſſanidarum. Quum vero Arſacidarum aevo nonniſi unum monumentum, ex iis quae inventa ſunt, tribuendum videatur, ſemper fere, ſi exceperis quae hiſtoricum noſtrum aevum excedunt, vel de Achaemenidarum vel de Saſſanidarum operibus nobis agendum eſt. — Singulae, de qua agi, terrae pauca praemiſi, in quibus, praeter ſinium conſtitutionem et ſoli aërisque conditionis deſcriptionem, oſtendere ſtudui, quae terrae quo tempore inprimis cultura eminuerint; porro quae inventa ſint monumenta, quae adhuc latere credibile ſit; quae denique noſtra, tum veteris conditionis, tum hodierni ſtatus, cuiuscunque terrae ſit cognitio, quibusque ea debeatur.

Initium totius diſquiſitionis feci a Perſide, licet veteri Mediae, vel ſi ſitum eius ſpectes geographicum, vel eiusdem antiquitatem, primus locus deberi videatur. Neglexi leviores iſtas rationes hac de cauſa: monumenta veteribus Medorum temporibus tribuenda, exceptis paucis iisque perquam dubiis, quod ſcimus, ſuperſunt nulla. Clarum igitur eſt,

longe gravissimam nostrae disquisitionis partem Persica opera efficere. Quae vero ut recte ad tempora sua revocemus, eaque, ut fas est, explicemus, inde iure fit initium, ubi ad certum quendam scopum quodammodo pervenire nobis licet. Quamquam per eruditorum conamina de Persepoli disquisitio non eo usque redacta est, ut criticorum dubitationibus ex omni parte satisfactum fit, hoc tamen extra omnem dubitationem positum mihi videtur, esse monumentum ad antiquissima Persarum tempora referendum. Habemus igitur, quo uti possumus ad cetera Achaemenidarum opera explicanda et diiudicanda. Haud procul a Persepoli spectantur Sassanidarum clarissima monumenta, anaglypha illa e rupe excisa, in quibus explicandis per ingeniosissimum aeque ac doctissimum De Sacyum penitius etiam progressi sumus; scimus enim, cuinam regi e Sassanidarum stirpe ea debeantur. Persis igitur est, unde paratiores aeque ac tutiores, tam ad Achaemenidarum opera, quam ad Sassanidarum monumenta illustranda progredi possumus.

Finem huius praefationis faciat *enumeratio fontium;* non omnium quidem librorum, quos in auxilium vocavi, sed eorum modo, e quibus ipsam tractandam materiem hausi. Scribebam Gottingae pridie Kalendarum April. a. MDCCCVI.

FON-

F O N T E S.

Fontium, e quibus res nostrae hauriendae sunt, duo bene statuas genera; ex eorum uno, veterum scilicet auctorum, discimus, qualia fuerint, per alterum vero, recentiorum scriptorum, edocemur, qualia iam sint praeclara illa veteris Persiae monumenta. Utrique generi intermedium quasi efficiunt ordinem Orientales, exceptis scriptoribus biblicis.

A. Scriptores Graeci et Latini.

E scriptoribus Graecis ante Alexandrum Magnum pauca ad nostram rem continent Herodotus, Xenophon et Ctesias. Per Alexandri expeditionem Persia Graecis penitius innotuit; maxime vero dolendum est, libros comitum Alexandri nostram aetatem non attigisse; attamen non prorsus interierunt, reddit eos ex parte Arrhianus, usus est iis Strabo, ambo in Persicis nostro consilio longe gravissimi. Consulendus praeterea in multis Diodorus Siculus. Neutiquam omittendus Isidorus Characenus, cuius *stationes Parthicae* multum faciunt ad situm veterum urbium constituendum. Haurienda quoque nonnulla ex Plutarcho. In aliis Iosephus iudicium tuum exercebit. Confugiendum erit saepius ad Ptolemaeum et Stephanum Byzantinum. E Latinis auctoribus Plinium praecipue et Curtium caute adibis.

B. Orientales.

E scriptoribus biblicis libri Esdrae, Nehemiae, Danielis, Iudithae, Tobiae aliique nonnunquam laudandi erunt. Maioris momenti nobis sunt Orientales recentioris aevi, ad quos transitum facit:

Moses

Moses Chorenensis, (floruit saeculo V. p. Chr.)

historiae Armeniacae libri III., accedit epitome Geographiae. ed. Whiston. 1736.

Scriptor videtur fuisse mediocriter tantum doctus, et maiori credulitate quam iudicio ex aliorum commentariis historias suas contexuisse. Verum enimvero, tametsi saepius falsus est, non continuo pro scriptore inutili et reiectaneo debet haberi *a*). Multa de Semiramidis monumentis fabulatur.

Ebn Haucal, (floruit post annum 903 et ante 968 *b*).

The oriental Geography of Ebn Haucal an Arabian traveller of the tenth century, translated by William Ousely. London 1800.

Orientalium omnium, qui mihi innotuere, in Geographicis facile princeps; quod indicium auctoritate probatur, qua fuit apud alios Orientales. Nobilis Al Edrisi, Ebn Cordabah aliique vestigia Haucali filii ubique secuti sunt teste Abulfeda *c*). Plurimas quas descripsit regiones ipse adiit. Ad monumenta nostra inter Orientales longe plurimum facit.

Scherif Edrisi vulgo dictus **Geographus Nubiensis**, (floruit anno 1150.)

Geographia Nubiensis ex Arabico in Latinum versa a Gabriele Siouita et Ioanne Hesronita. Paris. 1619.

Opus quod exstat pro maioris epitome habetur *d*). Nostris rebus minoris momenti est.

Abulfeda (obiit 1332).

Praeter opera historica, Geographiam quoque reliquit, cui nomen dedit *Takwim al boldan* (Canon Geographicus). Totum opus, exceptis nonnullis quae iam prius a Gravio edita erant, Latine vertit Reiskius. Quae versio inserta est libro Germanice scripto: *Büschings Magazin für Historie, T. IV, V.*

Sche-

a) Praefat. Whiston. p. 19.

b) EBN HAUCAL by Ousely, *preface*. p. 2.

c) *Chorasmiae et Mawaralnaraae descriptio*. ed. Gravii p. 2.

d) CASIRI, *bibliosh. Escur.* II. p. 9.

Scherif Eddin (1446.).

Histoire de Timur Bec ecrite en Persan par Chereffeddin Ali natif d' Yezd, traduite par Petis de la Croix 1723.

Abulgasi (1605.).

Histoire genealogique des Tatars traduite du Manuscr. d' Abulgasi-Bayadur-Chan par D. 1726.

Khojeh Abdulkerrim (1739.).

The memoirs of Khojeh Abdulkurreem a Cathmerian of distinction translated from the original Persian by Francis Gladwin. Calcutta 1788.

Hi tres ultimo loco nominati multum versabantur in Persiae terris orientalibus, quarum perquam manca est nostra cognitio. Multum vero abest ut nobis satisfaciant.

C. Peregrinatores.

Series peregrinatorum, qui ad nostram rem faciunt, iure incipit demum cum Figueroa. Quamquam enim itineraria, quae hoc tempus excedunt, quaeque exhibita habes in notissimis illis collectionibus *e*), geographiae in universum usui sunt, monumentis tamen Persiae cognoscendis parum tantum conferunt.

Garcias de Silva et Figueroa, (1617.) *f*).

Ambassade en Perse depuis 1617 *iusqu'en* 1624, *traduite de l'Espagnol par de Wicquefort. A Paris* 1667.

Editio Hispana princeps tam rara est, ut ne titulus quidem innotuerit.

Pietro della Valle, *viaggi in Turchia Persia ed India dall anno* 1614 *al* 1626. (1617.) Versio Franco Gallica: *Voyage de Pietro della Valle, à Paris* 1745.

Tho-

e) RAMUSIO, *viaggi*. In Venetia 1583. HAKLUYT, *principal navigations*. London 1600. PURCHAS, *pilgrimes*. London 1625. HARRIS, *collection of voyages and travels*. London 1705.

f) Numerus, quem uncis inclusi, annum indicat, quo iter fecit in Persia peregrinator. Editiones, quas apposui, non principes semper sunt, sed maxime usitatae, quarum titulos hoc loco paulo accuratius prodidi, quod in commentatione ipsa, praeter paginam raro quid addidi.

Thomas Herbert (1626.).

Relation du voyage de Perse et des Indes Orientales traduite de l'Anglois (par Wicquefort). A Paris 1663.

Editiones Anglicae, perquam rarae, ornatae sunt tabulis aeneis, quarum nonnullas minori forma depictas habes in: Harris's collection I. p. 404., qui liber epitomen Herberti itinerarii continet. Versio Franco Gallica tabulis caret.

Iohan Albrecht von Mandelsloh (1633.)

morgenländische Reysebeschreibung, herausgegeben durch Adam Olearium, mit dessen Notis, wie auch mit vielen Kupffer Platen gezieret. Schleswig 1658.

Adam Olearius (1636.)

ausführliche Beschreibung der kundbaren Reyse nach Muscow und Persien, mit vielen meist nach dem Leben gestellten Figuren gezieret. Schleswig 1663.

De Thevenot, (1663.).

Suite du voyage de Levant par Mr. de Th. Partie II. A Paris 1674.

Iean Baptiste Tavernier, (per quadraginta annos peregrinatus est, pluries Persiam adiit, ultimo 1665.)

les six voyages en Turquie en Perse et aux Indes. A Paris 1682.

André Daulier des Landes (1665.)

les beautez de la Perse, à Paris 1673.

Ian Iansson Struys, (1670.)

Strausens Reisen durch Italien, Griechenland, Lifland, Moscow, Tartarey, Meden, Persien etc., angefangen 1647 und vollbracht 1673, aus dem Holländischen übergesetzet von A. Müller. Amsterdam 1678.

Iean Chardin, (1664-1677.)

voyages du Chevalier Ch. en Perse et autres lieux de l'Orient, par Langles, Paris 1811.

Pie-

Pietro Bembo (1674.)

Dissertazione intorno ad alcuni viaggiatori eruditi Veneziani poco noti, pubblicata da Don Iacopo Morelli, in Venezia. 1803.

Engelbert Kaempfer, (1682.)

amoenitatum exoticarum fasciculi V. auctore Engelberto Kaempfero D. Lemgoviae 1712.

Gio. Franc. Gemelli Careri, (1694.)

giro del mondo. Venezia. 1719.

Cornelis de Bruyn, (1704.)

voyage au Levant par Corneille le Bruyn. A. Rouen 1725.

In tabulis aeneis laudandis semper fere secutus sum editionem Amstelodamensem, quod icones exhibet multo meliores.

Iohn Bell, (1715-1718.)

travels from St. Petersburg in Russia to diverse parts of Asia. Glasgow 1763.

Iean Otter (1734.)

voyage en Turquie et en Perse. A Paris 1748.

Edward Ives, (1754.)

voyage from England to India. Also a journey from Persia to England by an unusual route. London 1773.

Carsten Niebuhr, (1765.)

Reisebeschreibung nach Arabien und andern umliegenden Ländern. Kopenhagen 1778.

Ferrieres Sauveboeuf, (1782-89.)

memoires historiques politiques et geographiques des voyages du Comte de F. S. faits en Turquie, en Perse et en Arabie. A Paris 1790.

William Francklin, (1786-87.)

observations made on a tour from Bengal to Persia. London 1790.

*** G.

G. A. Olivier, (1796-97.)
voyage dans l'empire Othomane, l'Egypte et la Perse. Avec Atlas A Paris, an. 9.

Edward Scott Waring, (1802.)
a tour to Scheeraz by the route of Kazroon and Feerozabad. London 1807.

Ange de Gardane (1807-8.)
journal d'un voyage dans la Turquie-d'Asie et la Perse. A Paris 1809.

James Morier, (1808-9.)
a journey through Persia, Armenia, and Asia Minor, to Constantinople. With twenty five engravings from the designs of the author; a plate of inscriptions; and three maps. London 1812.

John Macdonald Kinneir, (1808-10.)
a geographical memoir of the Persian Empire, accompanied by a map. London 1813.

John Malcolm, (1808-10.)
the history of Persia, from the most early period to the present time. London 1815.

Mountstuart Elphinstone, (1808.)
an account of Caubul. London 1815.

Henry Pottinger, (1810.)
travels in Beloochistan and Sinde. London 1816.
cui libro annexum est:
Abstract of Captain Christie's journal.

PARS

PARS A.

Persiae terrae occidentales.

SECTIO I.

Persis.

Praemonenda de Perside.

Totius Persiae terra primaria est *Persis* (ἡ Περσὶς) nunc *Fars* vel *Farsistan* dicta *a*). Limites habet: ab *oriente* Carmaniam, *meridiem* versus sinum Persicum, ab *occasu* Susianam, ad *septentrionem* Paraetacenorum et Cossaeorum montana *b*). Terra est haud ita magna *c*), dispar vero soli natura et aëris temperie. Ora maritima aestuosa est ac ventosa et fructuum inops, praeterquam palmarum. Regio vero ulterior campestris est, omnium ferax, et optima pecorum nutrix fluminibus et lacubus plena. Tertia pars est hiemalis ac montana, aqui-

a) De nominis etymologia quae commentati sint viri docti, discas a CHARDINO (*voyages* III. p. 256.) et WAHLIO (*Alses u. neues Vorder u. Mittel-Asien* p. 225.)

b) STRABO p. 795 et 1057.

c) Hungariam ambitu haud longe superat, HEEREN'S *Ideen* I. 1. p. 230.

aquilonem versus; ab extremis eius partibus sunt camelorum pastores *d*). Quae quidem montana septentrionem versus, Mediae finitima, prima Persarum sedes fuisse videntur. Persae, antiquissimo tempore ipsorum lingua Artaei (Ἀρταῖοι) appellati *e*), priusquam Asiae victores exorti sunt, teste Platone *f*), pastores erant et rei pecuariae dediti. Asperam regionem incolebant, quae pastores poterat efficere robustos et qui sub diu iacere et totam noctem vigilare, et si castra metandum esset, castra metari possent. Consentanea refert Herodotus *g*). Fuerunt igitur *Nomades* quos *Cyrus*, proprio nomine *Agradatus* dictus *h*), ad fixas sedes redegit. Persas ante Cyrum infimo culturae loco fuisse, cum illa ipsa vivendi ratio docet, tum ex aliis veterum testimoniis colligitur *i*), inprimis vero illud consilium probat, quo callidissime usus est Cyrus, ut dux eorum crearetur, eosque ad bellum contra Medos instigaret *k*), cui consilio locus tantum esse potuit in homines parum cultos. Falsa igitur est opinio eorum, qui Persas ante Cyrum tam cultissimos quam potentissimos habent, eosque tales illo tempore fuisse opinantur, qui monumenta condere potuerint, quae etiamnunc unicuique peregrinatori summam admirationem excitent.

A Cyro igitur primum melioris culturae semina sparsa sunt, et Persis, ut Persiae terrarum *prima* eminuit, ita et *primaria* semper habita est. Clarissima haud dubie fuit Achaemenidarum temporibus. Sub Cyro in ea primum victores exstiterunt Persae; pugna enim hic illa cum Astyage commissa est, qua Asiae imperium ad Persas pervenit. Primae hic erant Persarum urbes *l*), prima palatia et sacra. Inprimis vero contulerunt ad claram efficiendam hanc terram sepulcra regum, splendidissima ea et multis divitiis referta, prae ceteris monumentum Cyri summa pietate cultum. Huc venerunt reges ini-

d) STRABO p. 1057. Cf. et DIONYSIUS PERIEGETA v. 1066.

e) HERODOT VII. c. 61.

f) PLATO *de legg.* III. c. 12. Opp. II. p. 695.

g) I. 71. IX. 122. Cf. quoque XENOPH. *Cyrop.* I. 33. ARRHIAN. V. 4. PLUTARCH. *Apophthegm.* p. 172.

h) STRABO p. 1060. *i*) HERODOT. I. c. 71.

k) HEROD. I. 126.

l) Ecbatana, Susa, aliaeque urbes antiquiores quidem sunt Persepoli, nec tamen eae a prima origine Persicae.

initio ſui imperii, ut induerentur veſte Cyri, ut immolarent diis, utque initiarentur a Magis ſacris regiis *m*). Haec aliaque effecerunt, ut, licet non regias ſedes in Perſide habuerint Achaemenidae, licet mercaturae faciendae ſecundiores fuerint aliae terrae, Perſis tamen Perſarum caput regni et patria haberetur. — Nec, Achaemenidarum imperio everſo, ceſſit eius celebritas; nam Parthorum tempore, quamquam aliquatenus fracta, ſub propriis tamen erat regibus *n*). — Praecipue vero Saſſanidae, qui a Cyri ſtirpe ſe oriundos gloriabantur, ſemperque operam dabant, ut imperii Perſici vetus gloria revocaretur *o*), in hac provincia regias ſedes habebant, ad eamque exornandam quam maxime conferebant. In quinque partes vel agros eam diviſerunt et unamquamque partem ipſorum nominibus appellaverunt *p*). Quae quidem diviſio ſeriori adhuc tempore obtinuit *q*). Ignis cultus a Saſſanidis in hac terra reſtitutus eſt, ibique maxime viguit. Decimo adhuc poſt Chr. n. ſeculo nullus fuit ager qui pyreo egeret *r*).

Perſis igitur ad monumenta noſtra Perſiae terrarum graviſſima eſt; in ea omnis aevi artis opera reſtare iure opineris. Multa eorum iam temporis inventa ſunt, multa alia adhuc latent. Manca eſt noſtra huius terrae, cum veteris conditionis, tum hodierni ſtatus, cognitio. Alexander in ea non diu moratus est; bella Eumenem inter et Antigonum in regionibus verſus ſeptentrionem et occaſum geſta, huius tantum partis cognitionem praebent exiguam. Romani nunquam hucusque progreſſi ſunt. Non igitur dubitandum eſt, fuiſſe in Perſide urbes, palatia, multaque alia monumenta, de quibus ne tantillum quidem nobis innotuerit per veteres. Eorum adeo

m) XENOPH. *Cyrop.* VIII. c. 7. PLUT. *Artaxerx.* c. 3.

n) STRABO p. 1059.

o) Scripſit quondam Romanis *Artaxerxes I.* (Ardeſchir Babegan): ſui iam eſſe muneris curare, ut vetus atque integrum Cyri imperium Perſis reſtitueretur, HERODIAN. VI. 6. — Maiora adhuc ſibi ſumſit *Sapores I*, dum omnes illas terras, quae ad Strymonem usque fluvium et Macedonicos fines porrigerent, Perſicae ditionis fuiſſe contendebat ſibique vindicabat, AMMIAN. MARCELL. XVII. 5. *Allgem. Welkgeſch.* IX. p. 578.

p) EBN HAUCAL. p. 82.

q) VINCENT's *ancient commerce* I. p. 329. 485.

r) EBN-HAUCAL. p. 85. 95.

adeo, quorum mentio fit apud veteres occidentis et orientis *s*) ſcriptores, minima tantum pars inventa iam eſt; caveas vero, ne, quae latent, interiiſſe putes omnia. Perſis ut veteribus parum nota erat, ita nobis quoque ex parte tantum percognita eſt. Quum nemo fere peregrinatorum a via communi deflecteret, pauca tantum praeter ea ex tenebris prodierunt, quae obviam habebant ab Isfahano Schiraſum proficiscentes, indeque portum petentes ſinus Perſici. Perſis igitur prae ceteris digna eſt quae accuratius adhuc perſcrutetur, primum quod primaria erat terra, ideoque plurima eaque praeſtantiſſima monumenta ibi latere credibile eſt; deinde quod ex eius monumentis Perſarum artis indoles optime perſpicitur, quum haec terra fere libera fuerit ab externa vi, quam reliquae terrae omnes expertae ſunt; accedit quod in iis ipſis monumentis quae iam inventa et deſcripta ſunt, multa praeſtanda reſtant peregrinatoribus futuris, nonniſi obiter enim eorum plurima cognovimus.

CAPUT I.

Perſepolis vulgo Tſchil-Minar.

Monumenta Perſepolitana, tota Perſia facile praeſtantiſſima, quum tot eruditorum clariſſimorum ingenia exercuerint, et omnino disquiſitio de iis ita comparata ſit, ut tempus toti huic commentationi addictum vix ſufficeret ad ſolam Perſepolin illuſtrandam: Ampliſſimus Philoſophorum Ordo non plane quidem excluſit hanc graviſſimam monumentorum Perſicorum partem, iure vero ipſa quaeſtione propoſita coarctavit eam hiſce verbis: *Perſepolitana breviter tantum recenſeantur.* Quae quidem lex, ſi quid video, non hoc ſibi vult, ut mera deſcriptio ruderum afferatur, quippe quae nullius uſus foret rei literariae; ſed ita ampliſſimi ordinis voluntati me ſatisfacturum ſperavi, ſi praecipue demonſtrarem, quae praeſtiterint in Perſepolitanis deſcribendis et explicandis viri eruditi *a*).

1.

s) Inprimis apud *filium Haucali.*

a) Scriptorum, qui de Perſepoli egerunt, enumerationem, quam ſine adiecta cenſura dederunt MEUSEL (*biblioth. hiſt.* I. 2. p. 41.) et LANGLES (*voyages de Chardin* T. VIII. p. 245.), quam maxime mancam eſſe, facile apparebit.

I. *Situs et nomen.*

Spatiosa planities, a vico hodierno Merdast, Merdestana dicta, cui ab occidente fluvius Bendemir, veterum Araxes, ab oriente mons Rachmed fines constituit *b*), tota fere ruderibus consperſa est. Inter ea vero longe ceteris omnibus eminent, quae sita (sub 39° latitud. secundum Niebuhri observationem) *c*) ad radices montis Rachmed, ab oriente ipso monte instar lunae falcis circumdantur, ad occidentem vero frontem praebent planitiei, vastissima scilicet rudera Persepolitana proprie sic dicta. Vulgo dicuntur Tschil-Minâr (چهل منار) h. e. quadraginta columnae, non idcirco, ut Niebuhro videtur *d*), quod Muhamedani, quum hoc loco potirentur, quadraginta hic inveniebant columnas; sed numero rotundo, quem vocant, dicuntur *Tschil-Minar*, quae et alias vocantur *Hezar-Sutun* (هزار ستون) *h. e. mille columnae e*). Aliis quoque nominibus appellantur a Persis: *Tacht-Schemschid* (تخت جمشید) *palatium Schemschidis*, et *Chauneh-Dara* (خانه دارا), *domus Darae h. e. Darii f*).

II. *Descriptorum recensio.*

Primus peregrinatorum Europaeorum, cui ruderum Persepoleos notitiam debemus *g*), est IOSAPHAT BARBARO *h*) (a. 1471.), qui monumenti anaglypha de Deo patre, Salomone et Simsone accipit. Concisius de ruderibus egerunt GEOFREY DUCKET *i*) (1568.) et ANTONY SHERLEY *k*) (1598). Refert *Figueroa l*), clarissimum illum Italum SEBASTIAN SERLIO, in libro suo, quem de architectura composuit, circa

b) CHARDIN. VIII. p. 243. KAEMPFER p. 298.

c) II. p. 122. *d*) l. c.

e) HYDE, *religio veterum Persarum* p. 304.

f) LANGLES, *memoire historique sur Persepolis*, in libro: *Collection portative de voyages* T. III. p. 207.

g) Errat LANGLES (*voyages de Chardin.* VIII. p. 245.), qui hunc honorem *Antonio de Govea* ad Persiae regem, anno 1602, legato, convenire putat.

h) RAMUSIO *viaggi* II. p. 107. Versio latina exstat: BIZARI *rerum Persicarum* hist. p. 474.

i) HARRIS, *collection* I. p. 526.

k) PURCHAS, *pilgrimes* II. p. 1435. *l*) p. 163.

circa medium seculi decimi sexti, effigiem reliquisse Persepoleos, eiusque columnas in *doricum* ordinem retulisse; falsum hoc est, nullo sui libri loco de Persepoli agit *Serlio*. Iam sequitur ANTONIO DE GOVEA, qui, Persia redux, duo opera composuit: *Iornada do Arcebispo de Goa* — et: *Relacam em que se tratam as guerras e grandes victorias que alcancou o grande Rey da Persia xa Abbas. Lisboa* 1611. Hoc altero libro rarissimo, ut me edocet Langles *m*), de Persepoli agit autor *n*), parum vero accurate, si fides habenda Figueroae *o*). GARCIAS DE SILVA ET FIGUEROA *p*) (1617.) primus cui descriptoris nomen debetur. Magnificentia huius monumenti, ut fas erat, valde commotus, accurate et satis copiose rudera descripsit, ita ut multos recentiorum descriptorum longe post se relinquat. Depingi rudera iussit, ut ex nonnullis itinerarii locis *q*) apparet; iconibus versio eget. Scripsit quoque epistolam *r*), qua succinctam Persepoleos descriptionem dedit. PIETRO DELLA VALLE *s*) eodem fere tempore copiose descripsit rudera, quorum et effigies perfici iusserat, quae vero quod sciam nunquam prodierunt *t*). Bonam tenebat veterum scriptorum cognitionem. THOMAS HERBERT *u*) nonnulla quidem habet haud negligenda, multis tamen locis vestigiis ingreditur Figueroae, quem ut assequatur, multum abest. ALBRECHT VON MANDELSLOH *v*) perfunctoriam modo descriptionem exhibuit, cui illustrandae falsam plane ruderum effigiem adiecit. DE THEVENOT *w*); lubenter subscribo Chardini de Thevenoto iudicio: *Thevenot homme fort exact dans les observations x*). Delineatam exhibet frontem sepulcri

m) *Voyages de Chardin* VIII. p. 245. — Ipse librum non vidi, quod bibliotheca Gottingensis, quae priorem possidet, altero caret.

n) p. 30. *o*) p. 163.

p) *ambassade* p. 144. *q*) p. 150. 158.

r) Latine versa est epistola sub titulo: *Garciae Silva Figueroa Philippi III. ad Persiae regem legati de rebus Persarum epistola V. Kal. au. MDCXIX. Spahani exarata. Antverpiae MDCXX.* Plures annos prior itinerario prodiit.

s) *voyages* V. p. 308.

t) DES LANDES p. 55. — Tabularum, quas continet versio huius itinerarii Germanica Genf 1674, una Des Landesii, altera Mandelslohi est.

u) *voyages* p. 236. *v*) *Reysebeschreibung* p. 12.

w) *suite du voyage* II. p. 277.

x) CHARDIN VIII. p. 292.

pulcri monumentorum *Nakschi-Rustam.* BABTISTE TAVERNIER *y*) idcirco nominandus est, ut miremur hominem ita sensu hebetem, ut verum iudicaret, quod de Persepoleos ruderibus tulit iudicium stupidus quidam Batavus, dicens: *vix esse operae pretium ut ad ea spectanda a via paululum deflectat peregrinator.* Paulo meliori animo fuit DES LANDES *z*); perfunctoriae suae descriptioni tabulam aeneam adiecit, ex alia quidem parte cum veritate congruam, ex alia vero falsam: sic e. c. columnas ne ad tertiam quidem altitudinis partem delineavit; omisit earum omnium capitula. IANSSON STRUYS *a*) haud dubie nunquam Persepolitana vidit. Ex comparatione eius descriptionis cum aliorum relationibus, mendacissimus aeque ac literis parum cultus arguitur. Effigiem Persepoleos quam addit, risum unicuique movere debet.

Quae hucusque innotuere omnia, ita erant comparata, ut in universum quidem rudera percognita haberes; sed perfectam eorum imaginem idcirco tibi ex omnibus illis descriptionibus fingere non poteras, quod tabulae aeneae, quibus egere non possumus, ad antiquitatis monumentum prorsus percognoscendum, vel nullae vel parum satisfacientes descriptionibus adiectae erant. Quae hac in re desiderabantur, praestiterunt *Chardin, Kaempfer* et *Le Bruyn.* IEAN CHARDIN *b*) ter visitavit rudera Persepoleos, eius descriptio perampla est et accurata, de multis rebus primus ille verum vidit, hinc et nunc inter descriptores primarium tenet locum. Quod rerum explicationem attinet, quam maxime dolendum est, defuisse ei veterum scriptorum intimam cognitionem, quam si tenuisset, quoad monumentorum explicationem praestitisset haud dubie vix superanda. Dolendum quoque, nec ipsum delineandi artem tenuisse; effigies magna quidem diligentia a pictore illo notissimo *Grelot*, cui Constantinopoleos descriptio debetur, perfecta sunt, pulchriora vero rudera reddunt, quam revera esse et ratio fidem facit et recentiores peregrinatores docent; multa quae exesa sunt tempestatis iniuria, ex proprio arbitrio in tabulis suis restituit. Eodem tempore (1674) quo Chardinus ultimo rudera visitavit, PIETRO BEMBO *c*) Tschil-Minar descripsit, qui, quamquam in aliis accuratissimus, hac tamen re

y) T. I. p. 592.
z) *beauxez de la Perse* p. 55.
a) p. 188.
b) VIII. p 241.
c) MORELLI, *dissertazione* p. 55.

re longe cedit Chardino. ENGELBERT KAEMPFER *d*) decem annos post Chardinum Persepolitana descripsit, diligentia eius aeque ac notandi observandique acumen cum in toto eius itinerario, tum in hac quoque descriptione ubique agnoscuntur, quod eo magis mirandum, quum triduum tantum Persepoli inpenderet. Nonnulla, e. c. columnas accuratius quam ceterorum quispiam descripsit. Tabulae aeri incisae multo deteriores sunt iis, quas dedit Chardinus, ipse artem delineandi quum non teneret, effigies per alios perfici curavit, qui aeque ac chalcographi summa negligentia, ut ipse confitetur *e*), rem absolverunt. HERBERT DE IAGER *f*) (1693.). De eius ruderum descriptione, ob idioma, quo composita est, iudicare nequeo. Effigies ruderum in multis rebus cum veritate non congruit. GEMELLI CARERI *g*); quum tanta iam praestiterint, qui ei praecesserant, levioris momenti sunt quae dedit. Accedit, quod de ipso itinere, an unquam fecerit Careri, dubitant viri docti. Dubitationi locum dat, quod *Des Landesii* tabulas aeneas suo itinerario inseruit. Bene quoque de Persepoli meruit WILSEN, qui (1694.) effigiem ruderum satis bonam sibi communicatam prodire iussit *h*), nulla quidem descriptione adiecta. DE BRUYN *i*) pictor fuit et artis suae excolendae causa praecipue itinera instituit. Trimestre spatium Persepoli vacavit. De tabulis eius aeri incisis dubitaverunt viri docti, an cum veritate congruant? Iure cavebis, ne in iis rebus, quibus a *Chardino* et *Kaempfero* discrepat, fidem statim habeas pictori illi. Quamquam acerrime tabularum suarum fidem libellulo contra Chardinum inprimis emisso defendere studuit *k*): vix tamen negabis, multa ex parte peccasse De Bruynium. Quod vero mirum est in hac re, semper fere vitium commisit Chardiniano contrarium. Res deteriores saepe reddit quam revera sunt; fracta et deleta indicat, quae vix

d) *amoenitates* p. 297. *e*) p. 340.

f) VALENTYN *Oud en Nieuw Oost-Indien* T. V. p. 221.

g) *Giro del mondo* T. II. p. 251.

h) *Philosophical Transactions* XVIII. p. 117. Nr. 210. — *Philosoph. Transact. abridged.* III. p. 526.

i) *voyages* IV. p. 301.

k) CORN. DE BRUYN'S *Anmerkingen over de Prinsverbeeldingen van de overblyfzelen van het oude Persepolis, uytgegeven door de H. H. Chardin en Kempfer.* Versio Franco-Gallica huius libelluli exstat: *voyages* V. p. 305.

vix temporis iniuriam experta sunt *l*). — Amplam tabulis suis subiunxit descriptionem, omnem dimensionem ad pedum et passuum mensuram reduxit, singulas aedificii partes bene distinxit et accurate disposuit. In explicandis ruderibus tantam approbavit scientiarum copiam, ut multi, qui talem eruditionem pictori convenire diffidebant, aliorum opibus ex hac parte instructum, doctiorumque opera adiutum eum perhiberent. Le Bruynii tabulas, adhibitis nonnullis Chardinianis, depictas habes in libro cui titulus: *Persepolis illustrata: or, the ancient and royal palace of Persepolis in Persia, destroyed by Alexander the Great, about two thousand years ago; with particular remarks concerning that Palace, and an account of the ancient authors who have wrote thereupon. Illustrated and described, in twenty one Copper plates. London* 1739. Opus splendidum, totum aeri incisum. Autoris nomen ignoratur *m*). Sequitur iam CARSTEN NIEBUHR *n*), nulli vel veritatis studio, vel diligentia et acri indicio secundus. Non tot quidem ac *De Bruynius* et *Chardinus*, itinerario addidit tabulas, in iis vero quas dedit, ab eius partibus semper stabis. WILLIAM FRANCKLIN *o*), quamquam celerius rem absolvit, quam ut descriptoris officio ex omni parte satisfacere potuisset, descriptionem tamen exhibuit melioribus semper accensendam. Levioris momenti sunt, quae post eum praestitit MORIER *p*). Effigies monumenti e longinquo desumta vix claram tibi excitabit imaginem.

III. An ex omni parte rudera Tschil-Minar nobis innotuerint?

Quum tot tantorumque virorum diligentiam exercuerint rudera Persepolitana, oriri fortasse posset opinio, omnia ad ea indaganda et exploranda iam praestitisse peregrinatores, nobisque ex omni parte ea explorata esse et percognita. Secus res se habet; imo, post tot tantosque labores iis inpensos, nostra eorum notitia haud perfecta est. Tota figurarum in illis ruinis conspicuarum multitudo, teste de Bruynio *q*), numerum efficit 1300; minima earum pars nobis depicta

l) Cf. *Morieri* iudicium quo satis perstringitur *de Bruyn* (p. 134.).

m) *Nova acta eruditorum, an.* 1741. p. 205.

n) II. p. 121.

o) *Tour from etc.* p. 198.

p) p. 129.

q) IV. p. 353.

depicta est. Inscriptiones quam plurimae depingendae restant *r*); ex quibus, accurate depictis et inter se collatis, quum multa haud dubie peti possint, digna inprimis est haec monumenti pars peregrinantis futuri diligentia. Certiores facti sumus solummodo de iis architecturae operibus, quae *supra terra* inveniuntur: nemo unquam in lucem protraxit, quae vel terra obruta, vel ipsa arte *sub terra* condita sunt. Multa eius generis restare, et ratio fidem facit, quod semper fere talia aedificia sua quoque habebant subterranea, et peregrinatores nos edocent *s*). Multi restant cuniculi, qui, ut videtur, cohaerent cum illis sepulcris monti incisis; nemo penitius eos investigavit. Ita nec cohaerentia singularum aedificii partium indagata est, quae si inveniretur, multum faceret ad consilium certius definiendum, ad quod inmensa haec monumenta constructa sunt. Optandum igitur est, ut peregrinatores futuri ad ea inprimis mentem advertant, quae iam minus cognita illic nobis restant. Temporis angustiis solummodo excusandus est Kinneirus, quod una tantum pagina Persepolin absolvit *t*). Quam maxime dolendum est, Morierum *u*) non primo proposito stetisse, describendi scilicet ea, quae a peregrinatoribus hucusque essent omissa, et indicandi, in quibus discrepantium scriptorum partibus standum esset. Generali enim eius descriptione nihil lucramur; notissima iterum nobis offeruntur.

IV. Descriptio.

Aedificium ex nigro marmore, quod vicinus mons suppeditabat, ea arte constructum est, ut multis partibus vix rimam cognoscas inter ingentes illas moles marmoreas, sine ullo caemento iunctas. Totum opus, cuius quadrata ferè est forma, amussi quidem non semper servata, murus ex omni regione, excepto latere orientali, circumdat, qui a septentrione ad meridiem sexcentos, ab occidente vero ad orientem, qua mons muro finem inponit, quadringentos circiter passus aequat. Totius operis in formam theatri structi tres omnino sunt partes, quarum altera altera eminentior est. Duplex scala ita comparata, ut decem equites, uno iuxta alterum locato, sine molestia ascendere eam possint, aditum ad inferiorem partem

r) NIEBUHR II. p. 156.
s) CHARDIN VIII. p. 329.
t) p. 77.
u) p 129.

Tab. I. p. 11.



Sepulcrum Darii Hystaspis

partem praebet, qua primum oculis obiiciuntur duo parietes, in quorum utroque animalis cuiusdam fabulosi figura colossica excisa est. Quatuor deinde sitae erant columnae, quarum duae adhuc supersunt, quas iterum similes excipiunt parietes, similibus instructi animalibus. Introitus hic fuisse videtur totius aedificii. Inde ad manum dextram iterum per scalas ascensus est ad secundam monumenti partem, octo pedes priori altiorem. Ibi columnae sitae sunt, quinquaginta pedum altitudine, eaque crassitie, ut trium hominum amplexum expleant; totum aedificium ab iis nomen traxit. Parietes scalarum ornati sunt diversis anaglyphis, quae cum hominum figuras, pedum duorum et dimidii altitudine, tum animalium inter se certantium effigies sistunt. Aedificium hac parte ut monti proximum, ita et ambitu maximum est; parietes multis figuris instructi sunt, inter quas regem sella regia sedentem non ignores. Alia minoris structurae aedificia inde ad occidentem versus sita sunt, quae, quum iterum solum elatius occupent, tertiam totius operis partem efficere dici possunt. Remotioris haec esse videntur aetatis quam cetera; sculpturis aeque ac omnia reliqua multis abundant.

E regione huius aedificii mons Rachmed monumentum spectandum praebet quam maxime memorabile. Magna lapidum moles mediae fere montis rupi exemta est, ut perpendicularis fieret superficies, quam deinde multis sculpturis perpolite omnibus incisis ornavit artifex. Totum hoc, inter Persepolitana facile gravissimum artis opus sistit, ex Chardini effigie LXVII, tabula nostra I. Frontis latitudo septuaginta et duorum pedum est, altitudo centum et triginta. Simile opus paululum inde meridiem versus in eodem monte excisum est; a quo iterum quartam horae partem distat tertium eiusdem generis anaglyphum, non prorsus vero perfectum.

V. Commentatorum recensio.

Peregrinatores fere omnes quum nec historiae nec artis cognitione valde essent inbuti, minoris momenti habendi sunt quoad Persepolitana explicanda. Eorum igitur sententias excludit haec mea enumeratio. Reliqua vero explicandi conamina ita afferam, ut primum de iis viris eruditis loquar, qui vel in universum de Persepoli sententiam protulerint, vel partem eius explicandam sibi sumserint;

deinde vero de iis agam, qui interpretationem totius monumenti susceperint.

1. Scriptores qui in universum de Tschil-Minar egerunt.

Facillimam sane omnium monumentorum explicandorum rationem inivit WITTE *v*), qui totum opus terrae eruptioni tribuit. Refutavit eum, vix hoc honore dignum *Niebuhrius x*). Eodem fere loco habendus est DE ROESCH, qui nuperrime modo de Persepoli insanivit *y*). Totum opus ex istius hominis opinione structum est a *Lamech* opera *Daedali*, post bellum Troianum, quo quae fortiter pugnaverit Lamech, monumenti anaglypha exhibent. Bellum vero Troianum non illud est, quod vulgo habetur, sed Medos inter et Persas. Persia enim est vetus Troia, Media Europa, Assyria Asia. Inscriptiones cuneiformes, lingua Germanica compositae, stemmata exhibent regum inde a Kain usque ad Lamech. Habeat sibi! — Scriptorum orientalium de Persepoli sententias enumeratas habes apud Langlesium *z*) et Herbelotum *a*). Secundum eorum alios, condita sunt illa monumenta, tempore nostrum aevum praecedente, *Praeadamitico*, quod vocant. Alii vel Huschencum vel Tamuram, Schemschidem, reginam Homai, aliosque autores habent. Fuerunt quoque qui Salomoni opus tribuerent. Nihil fidei his omnibus deberi, nullo eget testimonio; nihilo secius tamen fabulis illis aures praebuerunt multi. — WILLIAM IONES Tschil-Minar rudera habet templi, exstructi quo tempore religio Sabaica inter Persas viguit *b*), imperantibus scilicet Pischdadiis. Cui sententiae consentanea referunt DE BOCK *c*) et BAYL-

v) *Ueber den Ursprung der Pyramiden in Aegypten und der Ruinen von Persepolis von* SAMUEL SIMON WITTE 1789. *Vertheidigung des Versuchs über etc. von* WITTE 1792.

x) *Neues deutsches Museum* 1790. p. 1179.

y) *Allgemeine Literatur-Zeitung* Nr. 92. Apr. 1817. p. 730.

z) *Mémoire historique sur Persepolis*, in: *Collection de voyages* III. p. 201.

a) D'HERBELOT, *bibliotheque orientale* s. v. Estekhar.

b) *Dissertations and miscellaneous pieces of Asia* I. p. 198. IONES's *works* I. p. 88.

c) *Oeuvres diverses* I. p. 50. — *Essai sur l'histoire du sabeisme* 1787. — BÜSCHING's *Magazin XVII.* p. 183.

BAILLY *d*), quorum hic pro palatio accipit monumentum, conditum a Schemschide, qui inde ab anno 3209. ante Chr. regnavit. In medio reliquit OUSELY, rudera Tschil-Minar utrum templi sint Elymaide ab Antiocho direpti, an Persepoleos scriptorum Graecorum, an originem debeant Arsacidarum dynastiae *e*). Primum fieri non posse, alterum vero et tertium probabilitatis speciem prae se ferre, contendit VINCENT *f*). Eodem errore circumveniri sese passus est OLAUS TYCHSEN, qui, falsa inscriptionum interpretatione deductus, Arsacidarum temporibus Persepolin tribuit *g*). Verum in eo vidit vir, cuius dissertatiunculam publici iuris fecit OUSELY *h*), quod Persepolin Persiae habet metropolin, eiusdemque palatium fuisse perhibet, quod iam in ruderibus Tschil-Minar deprehenditur; falsus vero in eo est, quod ex solo Firdusio explicanda putat eius anaglypha. Eadem, quam vir ille indicavit, via ingressus HAGEMANN, ex Firdusio anaglyphorum dedit explicationem *i*). Architecturae indolem inprimis examinavit eamque Aegyptiacam esse statuit CAYLUS *k*); rudera, ut contendit, templi sunt, non palatii. Ad quam aetatem vero referenda sit eius origo, rationes et dubitationes attulit multas, incertum tamen reliquit. De monumentorum origine et usu pauca disputavit D'HANCARVILLE *l*); fusius egit de anaglyphis, quae acutius saepe quam verius ex veterum Persarum religione explicare studuit. Indorum artis et mythologiae vestigia interdum sibi deprehendisse videtur.

2. Scriptores qui explicationem totius monumenti dederunt.

HERDERUS, in sua explicatione, famam sequitur Orientis; scriptores serioris aetatis, inter quos praecipue Mirkhondus et Firdusius, fontes

d) *Histoire de l'astronomie* anc. p. 354.

e) EBN HAUCAL, preface p. XXV.

f) Ancient commerce I. p. 487.

g) OLAI GERHARDI TYCHSEN *de cuneatis inscriptionibus Persepolitanis lucubratio*, 1798.

h) *Oriental Collections* I. p. 167.

i) *Monumenti Persepolitani e Ferdusio illustratio*. 1801.

k) *Histoire de l'academie des inscriptions*. XXIX. p. 118.

l) *Supplémens aux recherches sur l'origine, l'esprit et les progrès des arts* p. 115.

fontes sunt, quibus ducibus Persepoleos explicationem instituit *m*). Quae quidem explicatio licet non ex omni parte vera sit, ingeniosa semper erit. Ex Herderi sententia monumentum fuit regia, ad effigiem structa palatii Schemschidis *n*); anaglypha illa ad instar Schemschidis imperii comparata, pompam repraesentant, occasione novi anni Noruz dicti habitam *o*). Haec de palatio, de sepulcris nihil. Quae si computamus, discimus quidem, quid fama Orientis de monumenti tempore et origine referat, de eius autem vero tempore et autore certiores non simus; dies enim ille Noruz, aeque ac Schemschides rex, ad fabulosa tempora recurrit. In monumentis vero antiquis explicandis ita procedendum videtur, ut primum videamus quid historia de iis moneat, in cuius quidem auxilium fama interdum vocari potest; nec tamen fama pro historia nobis habenda est, nec ex ea explicanda sunt monumenta, quae ipsa ortum dederunt istis fabulis. Herderus ipse contendit, fabulas illas esse efformatas per hoc monumentum *p*). Quam parum vero historiam curent Orientales in suis artis operibus interpretandis, omnia fere docent, de quibus hariolati sunt. Cuius omnino autoritatis esse potest Firdusius poeta seculi p. Chr. n. undecimi, qui ipse nunquam Persepolin vidit? fando accepit, quae profert, quaeque non raro falsa sunt; loquitur inter alia et de bobus, qui nulla monumenti parte conspiciuntur.

Alia plane via, digna tanti nominis historico, ingressus est HEERENIUS *q*), praeceptor meus summa pietate ad cineres usque colendus. E scriptoribus Graecis florenti Persarum imperio coaevis explicavit Persepolin. Ea protulit, in quibus haud dubie quiescendum erit, donec inscriptiones certa et indubitata ratione explicatae fuerint. Heerenii explicationem ex maxima parte amplexus est Mün-

m) HERDER de Persepoli egit, primum: *Zerstreute Blätter*, *Sammlung* 3. 1787. deinde: *Persepolis eine Muthmassung* 1798. postremum: *Sämmtliche Werke, zur Philosophie u. Gesch.* T. I. 1805.

n) HERDER'S *Werke* I. p. 71. *o*) HERDER l. c. p. 78.

p) *Herderi* (l. c. p. 213.) ipsa verba sunt haec: *So bildete sich die Geschichte Schemschids an diesen Kunstwerken, den Trümmern einer alten Zeit, neben einer unverstandenen Schrift aus.*

q) HEEREN primum de Persepoli egit: *Ideen*, ed. 1. 1796. Tom. II. p. 180. postremum: *Ideen* I. 1. p. 232. ed. 3.

MÜNTER *r*). MONGEZ quoque, in dissertatione sua de Persepoli *s*), nonnullis rebus cum Heerenii sententia congruit, nullo tamen loco, quod miror, eius mentione iniecta. HIRT *t*) nuperrime rudera Tschil-Minar censurae subiecit, persuasus neutiquam finitam esse post Heerenii labores, de Persepoli disquisitionem. Sed vereor, ne vir doctissimus rem magis a vero averterit, quam certiorem effecerit. Rudera illa ex eius opinione reliquiae sunt monasterii *u*), quod Magis condidit Darius, ut corpus suum, quod hic post mortem condiri voluit, custodirent. Architecturae indoles Bactro-Indica idcirco non esse videtur Hirtio, quod testimonio putat carere, Bactriam ante Alexandrum cultura eminuisse *v*). Monumentum ex eius sententia prae se fert indolem Aegyptiacam, imo perfectum est ad effigiem sepulcri Osymandyae *w*). Nec tamen Aegyptiacam solam artem, sed Graecorum quoque architecturae indolem prae se fert, eamque duplicem, veterem scilicet et recentiorem. Veteris artis indicia invenit in ornamentis sepulcri, recentioris aevi sunt columnae, Sassanidarum tempore operi adiectae!! Quae sententia, omnibus ceteris rationibus procul habitis, solo tabulae nostrae VIII. fig. a. aspectu refellitur. Capitulum ibi expressum, Sassanidarum tempori procul dubio tribuendum, aliud plane est, ac quod habent columnae Persepolitanae.

VI. Quae iam de Persepoli effecta sint per eruditorum labores?

Quamquam nostra de Persepoli notitia neutiquam ita iam est comparata, ut criticorum dubitationibus ex omni parte satisfactum sit

r) *Versuch über die keilförmigen Inschriften zu Persepolis* 1802. p. 10.

s) *Memoires de l'institut national, Litterature et beaux arts, an.* IX. T. III. p. 212.

t) *Abhandlungen der Königlichen Akademie der Wissenschaften zu Berlin* 1812-13. *Historisch-philologische Klasse p.* 40.

u) Ueberreste eines Klosters welches Darius für den Orden der Magier erbauen liess, HIRT. p. 48.

v) Cf. infra quae de Bactria eiusque monumento, omnium in Persia antiquissimo, dicemus.

w) DIODOR. SIC. I. c. 47. — Non nova est haec sententia, nam DE BOCK (*essai sur l'histoire du sabeisme. p.* 45) tale quid innuerat.

sit, prolata tamen sunt a viris eruditis, quorum haec maximam probabilitatis speciem prae se ferunt, illa adeo ita comparata sunt, ut dubitationi locus omnino non relinquatur. Heerenii inprimis esse, quae certa nobis de praestantissimo illo monumento constant, nemo facile inficias ibit.

1. Planitiem hodiernam Merdestanam occupavit quondam Persepolis.

Peregrinatorum de campo Merdestano narrationes si comparaveris cum veterum scriptorum nuntiis, patebit credo, fuisse hanc ipsam planitiem regionem illam totius Persiae olim celebratissimam, ubi Persepolis quondam sita fuit. Fluvius Bendemir, veterum Araxes, urbis situm tibi indicat. Rudera vero longe lateque sparsa docent, vel totam hanc planitiem, vel permagnam eius partem occupasse urbem illam clarissimam. Ex qua sola re si sequeretur, rudera Tschil-Minar aedificii alicuius esse, quod ad ipsam urbem quondam pertinuerit, multum adhuc abesset, ut monumenti usus et consilium inde pateret. Cum enim maximo ambitu esset Persepolis, probabile sit, quod et historici orientales confirmant *x*), plura ei fuisse palatia, aliaque monumenta celeberrima; cuiusnam igitur ex illis rudera deprehendamus, nec ex autorum veterum narratione colligitur, nec ex solo ipso monumento certo efficias. Aliunde petenda sunt auxilia. Iure cum Heerenio explicationem incipias ab insignibus illis artis operibus montis Rachmed. Inde enim certa assequi tibi licet.

2. Una e cryptis monti Rachmed incisis sepulcrum est Darii Hystaspis filii.

Diodorus Siculus *y*) post memorabilem illam arcis Persepolitanae descriptionem ita pergit: ἐν δὲ τῷ πρὸς ἀνατολὰς μέρει τῆς ἄκρας τέτταρα τλέθρα διεστηκὸς ὄρος ἐστὶ τὸ καλούμενον βασιλικὸν, ἐν ᾧ τῶν βασιλέων ὑπῆρχον οἱ τάφοι. πέτρα γὰρ ἦν κατεξαμμένη, καὶ κατὰ μέσον οἴκους ἔχουσα πλείονας, ἐν οἷς σηκοὶ τῶν τετελευτηκότων ὑπῆρχον, πρόσβασιν μὲν ἐύδεμίαν ἔχοντες χειροποίητον, ὑπ' ὀργάνων δέ τινων χειροποίητων ἐξαιρομένων τῶν νεκρῶν δεχόμενοι τὰς ταφάς. Cui descriptioni adiun-

x) LANGLES *memoire historique sur Persepolis* p. 209.

y) XVII. c. 71. Tom. II. p. 215. ed. Wesseling.

adiungas locum apud Ctesiam z): Δαρεῖος προστάσσει τάφον ἑαυτῷ κατασκευασθῆναι ἐν τῷ δισσῷ ὄρει· καὶ κατασκευάζεται. ἐπιθυμήσας δὲ ἰδεῖν αὐτον, ὑπό τε τῶν Χαλδαίων καὶ τῶν γονέων κωλύεται. οἱ δὲ γονεῖς, ἀνελθεῖν βεληθέντες, ἐπειδὴ οἱ ἱερεῖς εἶδον οἱ ἀνέλκοντες αὐτοὺς, καὶ ἐφοβήθησαν, καὶ φοβηθέντες ἀφῆκαν τὰ σχοινία; ἔπεσον καὶ ἐτελεύτησαν. καὶ ἐλυπῆθη Δαρεῖος λίαν· καὶ ἀπετμήθησαν αἱ κεφαλαὶ, τεσσαράκοντα ὄντων τῶν ἀνελκόντων. Illud βασιλικὸν ὄρος Diodori unum idemque est cum διττῷ ὄρει Ctesiae a), quo sibi Darius sepulcrum comparari iussit. Non modo spatium, quo haec sepulcra, teste Diodoro, a palatio distabant, sed tota descriptio plane quadrat cum cryptis illis monti Rachmed incisis b), quas sepulcrorum usui inserviisse, ex earum interiori natura omnes fere peregrinatores uno ore contendunt. Extra omnem dubitationem positum mihi videtur, montem Rachmed eundem esse, quem *regium* Diodorus, *duplicem* Ctesias appellat, sepulcra vero, ex eorundem scriptorum testimonio ei incisa, eadem esse quae e regione ruderum Tschil-Minar etiamnunc sese spectanda praebent, ideoque eorum altero conditum fuisse Darii Hystaspis filii corpus c). Insigniter sepulcro conveniunt, quae in eius fronte conspiciuntur anaglypha. Tota facies ex duabus partibus constat; inferior pars columnas habet quatuor, inter quarum medias porta conspicitur, quae vero speciei tantum causa affuit d), introitum enim non effecit e). Superior frontis pars regem sistit arcum praegrandem manu tenentem f), ante aram stantem, in qua

z) HERODOTUS Wesselingii p. 815.

a) Mons idcirco dictus fuisse videtur duplex, quod lunae falcis instar est ab extrema parte.

b) Singula hoc loco argumentis probare, tam abhorreret a lege quaestionis propositae, quam superfluum foret, quum alii iam res probaverint.

c) HEEREN's Ideen I. 1. p. 248.

d) Une fausse porte — jamais il n'y eut là de porte, Chardin VIII. p. 307.

e) Inferior portae pars fracta iam est, ab opum cupidis ut videtur, ita ut irrepant qui interiora examinare student; multum tamen abest ut introitum hoc foramen effecerit, quo tempore sepulcrorum usui adhuc respondebant cryptae. Sepulcra vel aditus habuerint necesse est subterraneos, nondum inventos, vel tenuerint, iure statuas, Persae artificium, quo, inmissis sepulcro corporibus, lapides ita caemento iungerent, ut nec rima ulla appareret postea, nec, illaeso lapide, aperiri unquam posset porta.

f) Huc referenda videtur inscriptio, qua insignitum fuit Darii sepulcrum, quamque

qua ignis flagrat sanctus, quem inprimis venerabantur Persae. Arae inpendet Sol, Mithras dictus. Figura senis, quae media parte inter regem et aram superinpendet, regis *Feruer* est *g*). Repraesentatur igitur rex cultor Ormuzdi, sectator religionis Zoroastris. Et cetera quae in hac fronte spectes, non sola ornamenta sunt, sed suam habent significationem. Columnarum apices capita referunt fabulosi animalis unicornu. Duplex figurarum humanarum series, quae ut caryatides, superiorem partem sustinere videntur, servorum conditionem indicant. Canum illa multitudo ad cultum Zoroastricum referenda, ex quo sacrosanctum fuit animal. Hastati illi viri, qui bini exteriorem frontis partem occupant, satellites sunt regis, Graece δορυφόροι *h*) dicti:

3. *Monumenti Tschil-Minar usus et consilium.*

Aedificio, quod iam in ruderibus deprehenditur, nexum intercessisse cum illis sepulcris, et situs propinquus et cuniculi subterranei docent, qui versus illud excurrunt. Quum Diodori sepulcrorum descriptio de cryptis montis Rachmed accipienda sit, necesse est, ut eiusdem Diodori descriptio palatii de ruderibus Tschil-Minar intelligatur. Inde vero ex mea quidem sententia difficultas quaedam oritur. Palatii Persepolitani descriptio est haec *i*): Οὗσης ἄκρας ἀξιολόγου, περιείληφεν αὐτὴν τριπλοῦν τεῖχος, οὗ τὸ μὲν πρῶτον ἀναλήμματι πολυδαπάνῳ κατεσκεύαστο, καὶ τὸ ὕψος εἶχε πηχῶν ἑκκαίδεκα ἐπάλξεσι κεκοσμημένον. τὸ δὲ δεύτερον τὴν μὲν ἄλλην κατασκευὴν ὁμοίαν ἔχει τῷ προειρημένῳ, τὸ δ' ὕψος διπλάσιον. ὁ δὲ τρίτος περίβολος τῷ σχήματι μέν ἐστι τετράπλευρος, τὸ δὲ τέτε τεῖχος ὕψος ἔχει πηχῶν ἑξήκοντα, λίθῳ σκληρῷ καὶ πρὸς διαμονὴν αἰωνίαν εὖ πεφυκότι κατεσκευασμένον. ἑκάστη δὲ τῶν πλευρῶν ἔχει πύλας χαλκᾶς, καὶ παρ' αὐτὰς σαυρὲς χάλκεῖς εἰκοσιπήχεις, ἧς μὲν πρὸς τὴν ἐκ τῆς θέας κατάπληξιν, ἃς δὲ πρὸς ἀσφάλειαν ἠρμοσμένας. Quae si comparaveris cum ruderibus Tschil-Minar, nonnullae eorum partes istius Siculi descriptioni refragantur. Excusationem tamen haec habent suam, cum

ex Onesicrito affert STRABO p. 1062. φίλος ἦ τοῖς φίλοις, ἱππεὺς καὶ τοξότης ἄριστος ἐγενόμην· κυνηγῶν ἐκράτεν· πάντα ποιεῖν ἠδυνάμην.

g) Cuius naturam quum paucis afferre nequeam, discas ex: ZEND AVESTA von *Kleuker* I. p. 14.

h) HEEREN's *Ideen* I. 1. p. 255.

i) DIODORUS SIC. XVII. c. 71.

eum in tot seculorum decursu, qui multa monumento ademit, tum in Diodoro ipso, qui, quum ex aliorum informatione haec afferret, nonnulla fortasse secus accepit. Quae ei de singulis palatii partibus earumque muris relata erant, de tribus muris totum palatium cingentibus intellexisse videtur. Persuasum igitur mihi habeo de ruderibus Tschil-Minar esse accipienda, quae ille de Persepoleos palatio narrat, et omnino has ipsas reliquias regiam illam referre Persepolitanam, apud multos scriptores celebratam *k*), quam, instigante Thaide, incendit Alexander. Non repugnat illud incendium, ut visum est nonnullis eruditis, palatii naturae. Consumsit ignis partes quae ligno constabant *l*). Ignis indicia marmori inpressa et nunc quaedam adsunt, teste Figueroa *m*). — Tschil-Minar igitur non templum fuit, ut multi voluerunt, sed palatium *n*). Nec tamen regia sedes. — Persarum reges sepulcro conditi non modo vestes et arma, sed thesauros quoque suos habebant. Quapropter qui sepulcra custodirent, requirebantur permulti. Et illi adeo qui munere aulico functi erant, sequebantur regem et ad eius sepulcrum vivebant. Opus igitur erat, iam hac sola de causa, in sepulcrorum vicinio, aedificiis permultis. Nec tamen gravissimus vel unicus fuit palatii usus, ut domicilium esset eorum, qui sepulcra custodirent; graviori adhuc consilio inserviisse videtur. Tota illa regio, quam Persepolis occupavit, sacrosancta fuit, inprimis vero sepulcrum Cyri summa pietate religiose cultum. Illuc enim veniebant reges initio sui imperii, ut induerentur veste Cyri, ut initiarentur sacris regiis, utque immolarent diis. Eadem religione posteriori tempore *o*) coluisse videntur Persae sepulcrum Darii. Huc enim venisse Persarum reges et duces contendit Diodorus *p*). Fuit igitur Tschil-Minar

k) Veterum scriptorum de Persepoli testimonia collecta habes apud BRISSONIUM *de regio Persarum principatu p.* 96.

l) Multa cedro aedificata fuit regia Persepolitana, *teste* CURTIO V. 6. Superior palatii pars, vel tectum saltem, ex ligno constabat; fortasse et ornamenta multa lignea fuere.

m) *Ambassade.* p. 162.

n) Docet hoc, aliis omissis, senis figura saepius in illis monumentis obvia, quae non sacerdotis sed regis est effigies.

o) Intelligo tempora Xerxis eiusque successorum.

p) DIODORUS SIC. Κατὰ δὲ τὴν ἄκραν ταύτην ἦσαν καταλύσεις βασιλικαὶ καὶ στρατη-

Minar sacrarium, cum iis habitandum destinatum, qui ad sacra sepulcralia Dario peragenda constituti essent, tum iis excipiendis addictum, qui pio illo munere, honores regibus sepulcro conditis praestandi, fungi vellent. Quibus cum accedat, quod eo ipso palatio divitiae regis mortui asservabantur, verissime Heerenius Persepolin appellat: Die Todten-Residenz der Persischen Könige *q*).

4. *Monumenti aetas et autor.*

Ex supra allatis iam patet, palatii originem ad vetustissima Persarum tempora recurrere; docet hoc cum artis in illo monumento conspicuae ratio et indoles, eadem plane quam prae se ferunt sepulcra, quae Achaemenidarum tempori tribuenda esse certo constat, tum anaglypha ipsa, quae mythologiam innuunt Bactro-Indicam et ritus regum Persarum *r*). Persepolis cum suis monumentis a Cyro et Cambyse condita perhibetur *s*); inscriptiones cuneiformes, interprete Grotefendo, nomina exhibent Darii et Xerxis; quod ita bene conciliari posse contendit Heerenius, ut perfecerint hi, quae inchoaverit ille. Niebuhrius ipse testatur vix unius esse hominis aevi talia perficere, nec unum idemque consilium in iis ubique conspicuum *t*). Quamquam Persepoleos (latiori sensu) prima origo haud dubie ad Cyrum usque referenda est, huius tamen palatii originem Dario Hystaspis tribuo, cui et urbis amplificatio debetur *u*).

5. *Architecturae indoles.*

Architecturae indoles, quam alii Indicam, alii Aegyptiacam esse voluerunt, Persica est. Licet artifices ii fuerint, quos Cambyses ex Aegypto in Persiam abire iusserat *v*), ita tamen egisse videntur, ut ad Persarum institutionem et voluntatem opera illa exequerentur. Artem

στρατηγικαὶ πλείας, πολυτελεῖς ταῖς κατασκευαῖς, καὶ θησαυροὶ πρὸς τῆς τῶν χρημάτων παραφυλακὴν εὐθέτως κατεσκευασμένοι.

q) HEEREN'S *Ideen* I. 1. p. 273. *r*) Ibid. p. 320 et 313.

s) DIODORUS SIC. II. p. 215. STEPHANUS BYZANT. s. v. *πασαργάδαι*. AELIANUS de anim. I. 59.

t) HEEREN'S *Ideen* p. 328.

u) Cf. quae infra de Pasargadis dicemus, s. cap. Meschid-Madri Suleiman.

v) DIODORUS SIC. I. p. 55.

Artem aedificandi ipsam inde acceperint credibile est, unde omnis cetera cultura ad Persas manavit, ex Media scilicet et Bactria *w*). Quum vero in anaglyphis Persepolitanis multa ex Magorum religione petita sint, Magi haud dubie ii fuerunt ad quorum institutionem et quibus ducibus condita sunt illa monumenta *x*).

6. *Inscriptiones.*

Summo studio digna sunt monumenta Persepolitana et propter singulare inscriptionum genus, quod multis partibus spectandum praebent. Scripturae huius characteres ex cuneis constant, quorum unusquisque pollicis latitudinem longitudine sua parum superat. Ab hac cunei forma vocantur literae cuneiformes vel cuneatae *y*). Nonnullas inscriptionum cuneiformium tabulas nobis exhibuerunt peregrinatores, inter quos praecipue Niebuhrus diligentia eminet. De iis explicandis qui quae sint eruditorum conamina, scire cupit, adeat de Sacyum *z*) et Eichhornium *a*). Grotefendus, cuius explicatio maximam probabilitatis speciem prae se fert, quamque plurimi eruditorum amplexi sunt, de illis inscriptionibus in universum effecit: Scripturam esse non syllabicam sed literalem, eamque a sinistra ad dextram legendam; tria eius Persepoli exstare genera; scripturam esse monumentis destinatam; originem eius longe tempora Cyri praecedere; in Media vel potius Bactria esse ortam; vinculum ei intercedere cum veterum Magorum religione; unum scripturae genus Zendica lingua constare. — Singulas inscriptiones, in quibus Darii et Xerxis nomina inveniuntur, quomodo explica-

w) Insigniter huic opinioni favet, quod, secundum scriptores Orientales, reges Persici imperii sedem ex urbe Balch in Persidem transtulerunt, D'HERBELOT *biblioth.* s. v. Kischtasb.

x) HEEREN'S *Ideen* p. 313 sqq.

y) Charactères à clous — écriture à clous. Non hoc solo inscriptionum genere insignita sunt monumenta Persepolitana, alias quoque exhibent inscriptiones, Cuficas sc., Arabicas et Persicas, quarum nonnullas descripsit Niebuhr (II. p. 134.) et explicavit DE SACY (memoire sur diverses antiq. p. 125.); serioris tamen quum sint aetatis, monumentis explicandis inservire nequeunt.

z) DE SACY *memoire sur div. ant* p. 1.

a) EICHHORN'S *Geschichte der Literatur* Vol. I. P. 1. p. 302. Cf. quoque: *Neue allgemeine deutsche Bibliothek.* Vol. XCVII. p. 129.

plicaverit Grotefendus, vide apud Heerenium *b*). Si totam hanc explicandi rationem reputaveris, multa Grotefendum praestitisse, nemo negabit; plura tamen praestanda superesse, facile concedet is, qui sciverit, quam parum nobis de antiqua Persarum lingua innotuerit. Gravissimus idcirco est nuntius nuperrime ex Anglia delatus, ex quo apparet, inventas esse inscriptiones cuneiformes cum alio scripturae genere coniunctas, ita ut altera inscriptio alterius versio esse videretur *c*).

CAPUT II.

Monumenta quaedam ruderibus Tschil-Minar finitima.

Magnificentia ruderum Tschil-Minar effecit, ut peregrinatores parum curae inpenderent ceteris monumentis in hac regione sitis, quae

b) HEEREN'S *Ideen Beilagen*. p. 563.

c) The Asiatic Iournal and Monthly Register Nr. X. for October 1816. Vol. II. p. 383. „It appears, that in two distant parts of Asia, two inscriptions have been recently found, in the Persepolitan or arrow-headed character, engraved on the same substance *with other languages*. The first of these is mentioned by the late Dr. Buchanan, in his account of the Syrian Christians, established on the Malabar coast of the great Indian peninsula, near Goa. Ten or eleven brass tablets which he saw at Goa, contained inscriptions in a character which he concluded to be Indian, and were presumed to be grants of land or privileges to the first Syrian settlers. On the back of one of them there was a long inscription in the Persepolitan character. Now, as the Indian character must, of course, be soon deciphered, and as there is strong reason to think that the Persepolitan on the same tablet, must be a translation of its contents, we are not too sanguine, probably, in hoping, that the unknown quantity may be arrived at, through the medium of that which we are likely soon to know. — The second discovery to which we have alluded, is the union, on the same stone, of the arrow-headed character with the Egyptian hieroglyphic, found at Shush (Susa) by the Hon. Robert Gordon, who was attached to Sir Gore Ousely's embassy. In an open court, annexed to the prophet Daniel's tomb at Susa, lies a block of dark Egyptian marble, about three feet long, of an irregular form, and verg finely polished. Three sides of it are sculptured. On one there are five rows of hieroglyphics; on another two rows of hieroglyphics, and the remainder of it filled with a beautiful inscription in the Persepolitan character; and on the third side, an inscription in the same character, now nearly effaced.

quae quamquam cum Perſepoli conferri nequeant, per ſe tamen omni ſtudio digna ſunt.

1) Trecentos paſſus meridiem verſus a Tſchil-Minar aedificii alicuius rudera inveniuntur, inter quae columna conſpicua eſt eiusdem rationis ac Perſepolitanae. Inde ad ſeptentrionem, lato campo portarum poſtes ſpectantur, eadem manu qua Perſepolis opera, exciſi et conſtructi. Ad montis radices deprehendis lapides caeſos et aquaeductuum rupi inciſorum reliquias *a*). — Trium milliariorum ſpatium inde ab hoc loco aliae inveniuntur columnae, eadem altitudine non pari vero arte conſtructae. Ab his iterum aliae quinque milliaria abeſſe dicebantur, quas vero ipſe, cui haec debetur notitia, Chardinus non vidit *b*).

2) Perſepoli relicta et traiecto flumine *Rud-Chone-Siwend*, rudera deprehendit Morierus *c*), quae habentur diverſorii (Karawanſeray). Lapidum moles, quae ſpatium occupat triginta ſeptem pedum latitudinis eiusdemque longitudinis, fundamentum effecit aedificiorum quorundam. Duo enim conſpiciuntur ſtrata lapidum marmoreorum, quae ita ſita ſunt, ut inferius ſuperiori duo fere pedes promineat. Lapides forma maxima, decem pedes longi, plus quatuor craſſi et tres lati ſunt; omnes anaglyphorum indicia exhibent. Murorum quoque, qui hoc aedificium cum aliis coniunxerunt, rudera hic ibique ſpectantur. Interior aedificii pars, multis fragmentis marmoreis repleta, canalis veſtigia ſpectanda offert.

Conciſius haec omnia ſunt prolata a peregrinatoribus, quam ut de ruderum conſilio iam poſſit disquiri. Similis architecturae ratio cum Perſepolitana ſatis probat, Achaemenidarum tempori et haec eſſe tribuenda.

3) Rudera quae vocantur urbis Iſtakar. Milliarium unum cum dimidio a Tſchil-Minar (ita ut primum ad ſeptentrionem, deinde vero orientem verſus deflectas), haud procul a monumentis Ruſtamicis rudera inveniuntur, quae vulgo putantur urbis Iſtakar. Duae columnae Perſepolitanis ſimillimae rectae adhuc ſuo loco ſtant; multae aliae collapſae et fractae hic illic obviae ſunt. Muro-

a) NIEBUHR II. p. 153. CHARDIN. VIII. p. 318.
b) CHARDIN. l. c. *c*) p. 137.

Murorum quoque et portarum rudera sub montis radice conspiciuntur. Omnia ex eodem nigro marmore, quo Persepolitana, constant *d*). Videntur haec eadem esse rudera, quae Morierus quoque *e*) descripsit, quaeque, ut perhibet, *Gynaeceum Schemschidis* appellantur. Ex quo quidem nomine nihil ad monumenti originem constituendam peti posse, per se intelligitur. Reiicienda quoque est sententia Niebuhri, qui palatium, quod regina *Homai* in urbe *Istakar* sibi condidisse fertur, in his ruderibus deprehendisse putat. Fabulosa illa regina, similis Graecorum Semiramidi, scriptorum Orientalium ingenio originem debet; fabulas enim omnia sapiunt, quae de ea circumferuntur *f*). Miratur *Hirtius g*), neminem in his ruderibus invenisse regiam illam quam combusserit Alexander. Quo argumento fulciatur vir doctissimus, non dixit. —

Nostra harum ruderum notitia tam imperfecta est et manca, ut nihil nisi hoc iam temporis effici posse videatur, originem ea debere antiquissimo Achaemenidarum tempori. Columnarum ratio, aeque ac ceterorum aedificiorum structura, aperte hanc aetatem iis assignat *h*). Et hoc probabile est, pertinuisse haec rudera ad caput illud regni, metropolin Persarum. Tota enim planities Merdestana, ad quatuor fere milliariorum ambitum, ruderibus abundat *i*). Situm fortasse hic fuit unum illorum castellorum, quibus defendebatur Persepolis; castello optime respondet loci natura *k*).

CAPUT III.

Nackschi-Rustam.

Milliarium circiter geographicum septentrionem versus a Tschil-Minar, eo loco, quo mons ille ipse, cuius radicibus adsita sunt rudera

d) NIEBUHR II. p. 154. *e*) p. 141.

f) HERBELOT *bibliotheque* s. h. v. — *Allgemeine Weltgeschichte* IV. p. 421. — De urbe Istakar cf. quae ex *Hagi-Chalifa* attulit *Münterus: über die Inschriften zu Persepolis* p. 18.

g) Abhandlungen der Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1812-13. p. 47.

h) NIEBUHR II. p. 154. MORIER. p. 142.

i) CHARDIN VIII. p. 310. *k*) MORIER. p. 141.

dera Persepolitana, ad finem vergit, flumini Pulwar ad septentrionem, inveniuntur monumenta quae vulgo vocantur Tacht-Rustam (thronus Rustami) vel Nakschi-Rustam نقش رستم (effigies Rustami), ducto nomine a fabuloso quodam Persarum heroe. Monumenta, exceptis paucis architecturae operibus, glyphicae artis sunt omnia, superficiei incisa rupis durissimae, quae, recto angulo surgens ad altitudinem sedecim cubitorum, ab oriente versus occidentem longitudine excurrit trecentos passus, ita ut frontem praebeat meridiei. Quum omnes fere qui Persepolin collustraverunt peregrinatores, et monumenta haec Rustamica (ita ea vocare liceat) descripserint, de fontibus hoc loco singulatim agere non attinet. Secuti sumus inprimis Chardinum *b*) et Morierum *c*). Quum diversissimae sint aetatis haec monumenta, secundum tempora discernentes ea ita describemus, ut primum de Achaemenidarum operibus agamus, deinde Sassanidarum monumenta pertractemus, denique locum constituamus iis quae dubiae sint aetatis.

A. Achaemenidarum monumenta.

I. Descriptio.

In medio fere monte rupis superficiei incisa est sepulcri facies, passus inde sexaginta secunda reperitur, a qua triginta passus distat tertia, quam quarta demum centum passibus excipit. Par est omnium horum sepulcrorum facies, quamquam haec illa praecellit integritate, pro marmoris conditione et tempestatis iniuria, cui altera altera magis minusve erat obnoxia. Quum maxima similitudo iis intercedat cum sepulcris Persepolitanis, nisi quod haec maiori diligentia exsculpta sint *d*), tabula nostra I, sepulcrum Persepolitanum sistens, si pauca tantum eaque levioris momenti exceperis, et pro horum monumentorum imagine valere potest. Externa sepulcri facies, octodecim pedes inde a solo communi incipiens *e*), latitudine aequat triginta quinque passus, quam vero mensuram longitudo, a nemi-

a) CHARDIN VIII. p. 335. NIEBUHR II. p. 155.
b) l. c.
c) p. 125.
d) NIEBUHR II. p. 155.
e) DE BRUYN IV. 361.

nemipe quidem accurate definita, multo superat *f*). Triplicem frontis compagem agnoscit Kaempferus. Prima eaque infima tabula, qua egent sepulcra Persepolitana, par est magnitudine superiori structurae; nuda cum ea sit et glabra, inscriptionibus destinata fuisse videtur. Media compages, quae superiorem et inferiorem senis passibus excedit, ideoque efficit, ut totum monumentum crucis formam quodammodo referat, ornata est columnis quatuor pari spatio dissitis, ea ratione ac si superior pars iis incumberet. Omnia cetera comparata plane sunt ad modum sepulcrorum Persepolitanorum. Columnarum a Persepolitanis diversitatem, quam agnoscit Chardinus *g*), ego non invenio. Sepulcro tertio incisae sunt inscriptiones duae literis cuneiformibus compositae *h*). Frontem quartam, quae integritate ceteris praecellit, pessime depictam habes a Thevenoto *i*). Satis bene eiusdem sepulcri faciem sistit Kaempferus *k*). Totius montis effigiem simul cum sculpturae operibus exhibent Chardinus *l*) et De Bruynius *m*). Interiorem sepulcri partem Niebuhrus ex notitia amici sui, qui mercaturae faciendae causa in Persia commorabatur, describit *n*). Conclave est quadraginta pedes longum, viginti latum. Parieti postico incisi sunt tres sinus, quorum unumquemque arca occupat, quatuor pedum altitudine novem longitudine et octo latitudine. Arcae lapis superior planus et omni ornatu vacuus fractus est ex aliqua parte, ita ut interiora potuerint examinari; nihil tamen intus inventum.

Sexaginta circiter passus a monte remotum, e regione sepulcri primi, aedificium exstat singularis structurae, ex candidissimo aeque ac durissimo polito lapide *o*) admirabili arte *p*) compositum. Figura est quadrata, cuius singulum latus octodecim passus aequat, altitudo viginti quatuor *q*). Lapides, quibus aedificium structum est, tantae

f) KAEMPFER p. 312.
g) VIII. p. 342.
h) CHARDIN VIII. p. 343.
i) II. p. 287.
k) p. 313.
l) Tab. LXXIV.
m) Tab. 167.
n) NIEBUHR II. p. 155. Interiorem sepulcri faciem sistit De Bruyn Tab. 159.
o) Non marmoreus est lapis nec quem suppeditavit mons proxime situs, cf. NIEBUHR II. p. 159. Thevenot II. p. 288.
p) CHARDIN VIII. p. 354.
q) CHARDIN l. c.

tantae molis sunt, ut duo iuxta se locati aediculae latitudinem expleant, et quindecim supra invicem positi altitudinem efficiant, excepto qui pro totius operis coronide omnium summus est r). In duas quasi distincta est contignationes, quarum inferior solida quum sit, omni accessu et conclave caret; superior pars cameram refert tres circiter orgyias a communi solo incipientem, decem pedum longitudine eademque latitudine; obscura foret et caliginosa, nisi lux per ostiolum penetrans eam illustraret. Parietes omni inscriptionum genere et sculpturae opere carent s). Tria domus exteriora latera sex singula exhibent fenestrarum figuras lapidibus incisas, forma oblonga, ambientibus limbis gradatim depressioribus, aliosque praeterea multos minoris formae sinus lapidum superficiei incisos. Referebatur Kaempfero, tabulas aureas iis fuisse adaptatas pro aedificii splendore. Tabulae aeneae, si, quod dubitem, revera affuerunt, inscriptionibus incidendis potius destinatae fuisse videntur. Aediculae frons, qua ostium scilicet est, septentrionem versus rupem respicit. Conditionis suae integritatem aedificium debet magnis duobus, quibus tectum est, lapidibus, necem minitantibus iis qui inferiora saxa revellere operam darent t).

II. Explicatio.

Quod primum ad cryptas illas priori loco descriptas attinet, artis in earum facie conspicuae indoles, eadem cum Persepolitana, et characteres cuneiformes, aperte demonstrant, eiusdem haec monumenta esse aetatis, cuius sunt rudera Tschil-Minar; tota vero cryptarum ratio, earumque omni fere parte cum sepulcris Persepolitanis consensus, extra omnem dubitationem ponunt, sepulcrorum usui, et has cryptas destinatas fuisse. Cui quidem sententiae refragari fortasse videri posset illud, quod loculi nullibi inventi fuerint, arcarum vero in illis cryptis repositarum natura vix loculis conveniat. Inde quod iam non adsunt illi loculi, concludi nequit, nunquam affuisse. Arrhianus u) nos docet, Persarum regum loculos pretioso metallo constitisse. Habuerunt igitur illa sepulcra, cum propter

r) Kaempfer p. 322.
s) Niebuhr II. p. 150.
t) Chardin l. c.
u) VI. 29.

propter hoc ipsum, tum ob aliam divitiarum iisdem repositarum copiam, quo allicerent ingruentium hostium rapacitatem. Haec fuit causa, quapropter spoliatum est Cyri monumentum *v*). Eandem rapinae sortem et haec sepulcra experta fuisse videntur. Pro loculis ne accipias arcas illas sepulcris repositas, valde erit cavendum. Tota earum natura plane repugnat. Licet etiam pro iis accipere velis arcas, quibus conditi fuerint loculi pretiosi aeris; facile tamen est intellectu, formam earum esse et latiorem et depressiorem, quam quae apta fuerit homini componendo. Huic accedit quod istae cistae immoto suo adhuc stant loco, omni re vacuae, quamquam nullo nisi parvo foramine sunt instructae, per quod ut auferretur corpus exanime, fieri omnino nequit. Infuerint igitur necesse est res minori ambitu eaeque ablatu dignae. Haec ipsa res indicat ut puto, arcarum usum. Persarum reges sepulcris repositi non solum vestes et arma ceterumque regium apparatum secum habere solebant, sed thesauros quoque suos habebant *w*). Pecuniae asservandae inserviisse videntur arcae; iam vero explicatu facillimum est, qui fieri potuerit, ut omni re orbatae sint, quamquam parvo tantum foramine instructae; sufficit enim parva illa rima numis auferendis.

Iam alia difficultas tollenda. Ex Ctesia et Diodoro apparet sepulcra regia ea fuisse, quae e regione palatii Persepolitani monti Rachmed incisa sunt. Attamen et hic locus fuisse videtur regum sepeliundorum. Plura igitur talia mausolea regia accipienda sunt. Cui sententiae nec repugnant veteres, quorum nullus unicum modo sepulcrorum regum Persarum locum fuisse perhibet; fidem vero facit ratio; verosimile enim est, unamquamque regiam stirpem sua propria habuisse sepulcra. De Cyri monumento constat, diversi plane fuit generis *x*). Darius hunc sepeliundi morem inmutavit et teste Ctesia parari sibi iussit, ut supra vidimus, sepulcra monti Rachmed incisa, in quibus ipse haud dubie et Xerxes fortasse sepultus erat; verosimillimum hoc inde fit, quod monumenta Persepolitana illis regibus originem suam debent. Quibus vero sepulcris occupatis, ut aliis prospicerent reges, necesse erat. Natura ipsa

v) Arrhianus VI. 30. *w*) Arrhianus l. c.

x) Cf. nostra eius descriptio infra allata.

ipsa nullus fere accommodatior fuit locus, quam quo Rustamica spectantur monumenta; quare eum elegisse et ad hunc usum comparasse videntur. Fuisse coniicio sepulcra nostra regia illa mausolea (βασιλικαὶ θήκαι), ad quae Alexander sepeliundum misit Darii Codomanni corpus, et quibus Darius sepultus est καθάπερ καὶ οἱ ἄλλοι οἱ πρὸ Δαρείου (post Xerxem tamen) βασιλεῖς y). Fuerunt igitur Achaemenidarum sepulcra, eorumque origo post annum cadere videtur a. Chr. 465.

2. Quod porro attinet ad aediculam illam singularis structurae, loco secundo a nobis descriptam, persuasum mihi habeo, Achaemenidarum temporibus et eius originem esse tribuendam. Figura enim quadrangularis, nullo arcus indicio conspicuo, lapides singuli inmensae molis, nitidi et politi summa arte coniuncti, remotissimam illam aetatem innuunt. Difficilius sane est de aedificii usu quid certi afferre. Inde quod luce caret, persuasit sibi Niebuhrus z), nunquam vivorum fuisse habitaculum, sed vel sepulcrum, vel sacellum fortasse, quo reposita fuerint regum defunctorum corpora, antris illis rupi incisis postea inmittenda. Speciose haec dicta viderentur, nisi per Ctesiam et Diodorum edocti essemus, reges adhuc viventes sibi comparasse sepulcra. Nihil igitur morae erat quin statim sepulcris inmitterentur defunctorum corpora. Mirum sane est, quam insignis huius aediculae cum Cyri sepulcro occurrat concinnitas; pro Cyri monumento eam agnoscere non dubitarem, nisi Morierus a) vir summae fidei me edocuisset, interiorem eius partem ignis indicia exhibere. Quod quum ita sit, persuasus, de accuratissimi Morieri auctoritate neutiquam esse dubitandum, pro veteri pyreo aedificium accipio. Summa structurae antiquitas causa est, ut aedicula ipsa non conveniat cum ea pyrei effigie, quam sistit Hydius b) ex recentioris seculi pyreo, ut clare apparet, desumtam. Aedificii aperturae illae quas fenestrarum usui non respondisse contendit Morierus, destinatae fuisse videntur, ut fumus per eas deduceretur. Iam temporis, eodem teste, ostructae sunt lapidibus. Effecit hoc, ut putem, religiosa pietas, quae, relicto quidem et inmutato hoc pyreorum genere, non tulit tamen, ut haec aedicula religioso usui quondam sacra, avium iam foret refugium

y) ARRHIANUS III. 22.

z) II. p. 159.

a) p. 128.

b) De religione vett. Persar. p. 354.

fugium et cubile. Vi quoque fractos contendit Morierus lapides ea parte qua ostium est; consulto fortasse et hoc factum, diruerunt scalam qua ascendebant ad superiorem cameram, ne attingerent scilicet curiosorum vel scelestorum manus antiquum illud sacrum. Ultima adhuc superest componenda res. Graeci scilicet contendunt, abhorrere a Persarum more, cum templa et delubra aedificare tum deorum effigies sistere. Quamquam hoc per nullum librorum Zoroastris locum confirmatur, illud tamen verum esse videtur, templa, quo sensu apud Graecos exstiterunt, similia nunquam apud Persas fuisse. Pyrea vero illa, quae nec templi nomen merentur nec pro templis habebantur, vix refragantur illi Graecorum testimonio. Antiquum pyreorum apud Persas usum discas ex Hydii libro *c*).

B. Sassanidarum opera.

I. Descriptio.

Praeter illa Achaemenidarum opera, alia quoque multa seriosis aetatis monumenta eodem loco inveniuntur, ita tamen ipsorum indole ab illis diversa, ut vix verendum sit, ne parum tantum arte inbutus, utriusque temporis antiquitates confundat. Glyphicae artis haec monumenta sunt omnia. Enarrabo ea, quemadmodum ab occasu versus orientem sese invicem excipiunt, quo ordine simul cum tota rupe ea sistit Chardini tabula LXXIV.

1. Primum quod spectandum sese praebet anaglyphum sistit tabula nostra II, ex aere Morieri *d*) desumta. Tres circiter orgyias a communi solo incipit tabula rupi incisa, octo passuum longitudine et duarum orgyiarum altitudine. Limen anaglyphum ambiens latitudinem occupat bipedalem, cui respondet sculpturarum crassities seu protuberantia *e*). Duo exhibiti sunt equites forma colossica, duodecim fere pedum altitudine *f*). Eques uterque regiam speciem prae se fert, indutus veste praelonga et fluitante; ita tamen, ut qui est ad laevam, nudum habeat pectus, extrema vestis parte sub humero nodo, ut videtur, religata. Eques vero ad dextram vestem habet in pectore ita constrictam, ut laevus humerus laevumque

c) *De religione vett. Pers.* p. 356.
d) ad pag. 128.
e) Kaempfer p. 308.
f) Chardin. VIII. p. 337.

Nachischi-Rustam

que pectus multis vestimenti plicis tegatur. Est ei barba promissa, capillus largus et crispatus, retro effusus; tiara caput ornat tripartita, inminente globo ingenti; ambit eam diadema, cuius fasciae peramplae et praelongae a tergo fluctuant. Eques laeva tenet clavam, dextra annuli figuram vittis dependentibus, quam equiti ad laevam praetendit, qui pari modo dextra manu prehendere annulum conatur. Similis est, ad plurimam partem, vestitu et ornatu, equiti dextro; capillum enim habet crispum et effusum retro flexum, barbam crispam. Tiara caput ornat rotunda, bucculis instructa, globo inminente maximo *g*). Equiti laevo a tergo stat pedissequus, item ac dominus barba crispa et effuso capillo; caput eius tegit pileus in acutum desinens; dextra capiti regis praetendit muscarium *h*), non umbrellam, ut habet Chardinus *i*). Equi statura minores pro conditione equitum, pari fere ratione vestiti sunt ambo, ita ut differant tantum rebus levioris momenti. Phalerae pectorales equi ad laevam laminas gerunt capitibus leoninis decoratas; frena equi ad dextram laminis rotundis, omni effigie vacuis, instructa sunt. Utrique a superiori frontis parte lorum deductum, os et labia tegit, et sub inferiori oris parte devinctum est. Equis a tergo dependent catenae, quibus annexa est figura quaedam oblonga, in acutum desinens. Utriusque equi pedibus prostratus subiacet homo, ore in terram compresso; alter rotundam habet tiaram, alter directam, ad modum equitum utrique insistentium. Temporis iniuria ex hac parte anaglyphum perquam exesum est *k*). Pectori equi ad dextram incisa est inscriptio septem linearum; eorundem characterum inscriptione parva insignitum est pectus equi adversi *l*). Anaglyphi picturam exhibent praeter Chardinum et Morierum, Kaempferus *m*), De Bruynius *n*) et Niebuhrus *o*).

2. Paucos passus inde remotum aliud invenitur anaglyphum, quod teste Moriero *p*) novem, secundum Kaempferi tabulam *q*) undecim

g) Secundum *Niebuhri* tabulam ex tiara tergo defluunt fasciae, nec tamen eae peramplae.

h) Morier p. 126. *i*) VIII. p. 338.

k) Capita tamen integra in Niebuhri effigie exhibita sunt.

l) Morier p. 126. *m*) p. 309.

n) Tab. 170. *o*) Tab. XXXIII. C.

p) p. 126. *q*) p. 311.

decim homines exhibet, septem pedum altitudine r). Figura media, prae ceteris magnitudine et ornatu conspicua, regia specie decora, manibus innititur gladio in terram defixo s). Caput tiara tegit in permagnam bullam expansa. Barba ei est promissa et insigni nodo plicata; capillus in floccos divisus. Collum monile ornat coralliis decoratum. Toto corpore defluit vestis laxa et praelonga. Regia haec figura integra exsculpta est, ceterae omnes, excepta ad dextram ultima, superiorem modocorporis partem conspiciendam praebent. Respicit rex figuras ad laevam stantes. Figurae ab altera parte, sublata dextra, signum dare videntur iis, quae ad regem sunt conversae; ita saltem putat Kaempferus, non item ego: hominum regi proxime sitorum hic umbrellam, ille muscarium, si quid video, regis capiti supertendit; muscarium vero et umbrellam quod non cognoscas, in culpa est vel iniuria tempestatis vel pictoris levitas. In tertia vero figura, eodem habitu pingenda, erravit haud dubie Kaempferus, plures enim duobus pedissequis nunquam occurrunt. Excepto rege omnes capitis tegumentum habent vel rotundum vel in acutum desinens. In ima anaglyphi parte tabula rasa spectatur, oblonga, destinata ut putem inscriptionibus, quae tamen non sunt incisae. Effigiem sistit praeter Chardinum solus Kaempferus t).

3. Media fere rupis parte, sepulcro primo subiuncta est tabula, certamen repraesentans duorum equitum, qui admissis equis, lanceis se invicem petunt. Eques ad laevam ornatus est corona tripartita, cuius unicuique apici affixus est globulus, forma similis ei, qui imminet humero equitis dextro et equi capiti. Inmensae magnitudinis pharetra a dextro equitis latere dependet. Armaturae quoddam genus mediam equitis partem tegit et equi tergum. Sub equi ventre lorum conspicitur multis globulis ornatum. Equiti a tergo stat homo, qui signum quoddam militare tenet, baculum scilicet praelongum, crucis formam a superiori parte exhibentem, quinque globulis instructum. Eques forti manu lancea transfigit collum adversarii, qui in ipso ferventis impetus momento, lancea fracta, paululum reclinat, dum equus in pedes posteriores reiicitur. Vestitus in utroque equite, praeter capitis tegumentum, pauca tantum supersunt vesti-

r) Chardin VIII. p. 341.

s) Morier p. 126.

t) p. 311.

vestigia. Praeter zonam tamen, quam haud ignoscas in equite dextro, ante omnia memorabilis est insignis cassidis figura praealta, Graecorum more quodammodo comparata *u*). Totum anaglyphum, quamquam temporis iniuria valde exesum, vigorem nihilo secius prae se fert a ceteris sculpturis alienum; singularum partium concinnitas praeterea melius in eo servata est, quam in ullo alio *v*). Anaglyphum praeter falsam plane effigiem Chardini *w*) et ridiculam picturam Kaempferi *x*), satis bene sistit tabula Morieri *y*).

Similis duorum equitum certantium effigies exhibita fuisse videtur, si concludere licet ex lineamentis ad minimam partem servatis, tabula sepulcro alteri subiuncta. Chardino excepto omnes peregrinatores fugit hoc anaglyphum. Eadem effigies subiuncta iterum est sepulcro tertio et quarto. Iconem tertio sepulcro additam exhibent Kaempferus *z*) et Morierus *a*).

4. Sepulcro tertio a parte dextra addita est tabula effigiem sistens perquam memorabilem, eandem quam minori quidem forma exhibitam habes in monumentis urbis Schapur. Figura primaria eques est, regiam speciem prae se ferens; caput eius ornat tiara trifida, cui globus inminet ingens, fasciae item ac larga pepla fluctuant a tergo. Monile coralliis instructum ornat collum. Veste indutus est a superiori parte angusta et fibula constricta, ab inferiori larga; zona affabre facta cingit equitem, a cuius laevo latere dependet gladius. Regi adversi conspiciuntur duo homines, quorum alter, genu laevo innixus, brachia supplex praetendit versus regem. Pileus rotundus caput tegit, pepla fluctuant a tergo. Alter erectus, attonito similis, nudo capite, veste indutus ne genua quidem tegente, zona cinctus satis artificiose composita, manus tollit, quas eques corripit. Regi a tergo est figura hominis ut signum dantis ceteris figuris equiti conversis, puta pedissequum manu

u) Capitis ornamentum apud Morierum ita exhibitum est, ut valde vereor, ne erraverit pictoris manus.

v) Morier p. 127.

w) LXXIV.

x) p. 320.

y) ad p. 127.

z) ad p. 318.

a) tabula paginae 125 addita.

nu sublata muscarium (quod tamen exesse vetusta aetas) regis capiti praetendentem. Hanc pedissequi figuram ad mediam partem tegit tabula, inscriptionibus repleta, similibus iis, quae obviae sunt in ruderibus urbis Schapur *b*). Earum aliquam partem exhibet Niebuhrus *c*). Anaglyphi effigiem sistunt Kaempferus *d*), De Bruynius *e*), Niebuhrus *f*). Simile anaglyphum monumentorum urbis Schapur habes in Tabula nostra V.

5. Inter tertium et quartum sepulcrum spectatur memorabilis tabula, ex parte quidem terra obruta. Tres sistit figuras, quarum media eaque primaria regem refert longa et fluitante veste indutum, barbatum, capillis effusis, caput cidari cinctum in bullam expansa *g*). Regi post tergum stat pedissequus muscarium eius capiti supertendens. Rex manu dextra porrigit annulum figurae adversae, quam pro *foemina* agnoscunt peregrinatores, pro *viro* ego habeo. Plura de ea infra.

Praeter haec anaglypha recensita et alias hic ibique obviam habes tabulas rupis superficiei incisas, quarum vero quum aliae figuras prorsus fere exesas referant, aliae figuris plane egeant, (quas imperfectas fortasse reliquit artificis manus), satius erit a coniecturis super iis abstinere.

II. Explicatio.

Anaglypha modo descripta quum eandem artis indolem et naturam prae se ferant, omnia ad unam eandemque aetatem pertinere,

b) Morier p. 127.

c) Tab. 34. — Morierus quoque Tab. 29. huius inscriptionis paucas lineas sistit, quae sunt Tabulae Niebuhrianae lineae inferiores quinque. Docet tabula Nieb., false esse a Moriero allata haec: "*Greek inscription on the rock under the horses belly nearly obliterated: then the following.*" Habuit igitur, quae sistit Niebuhri tabulae pars superior, pro characteribus Graecis, quos tamen non esse, clarum est. Annotavi hoc, ne ex Morieri errore colligantur falsa.

d) p. 319. *e*) Tab. 168.

f) XXXIII. D.

g) In capitis ornatu pingendo erraverunt haud dubie manus Kaempferi et De Bruynii.

nere, dubio caret. Cui tamen aevo debeantur, quaeque eorum significatio sit, diversae olim valuerunt sententiae. Nullius sane momenti est, quod praedicant Persae hodierni, qui Rustamum decantatissimum Persarum heroem anaglyphis illis praeclaras suas res gestas aeternitati dare voluisse contendunt *h*). Aeque falsa est sententia eorum, qui Alexandri effigiem illis monumentis exhibitam putant *i*). Quam quidem opinionem Hydius *k*) adeo amplexus est; vestigia enim nominis Alexandri quum in inscriptionibus deprehendisse sibi videretur, post durissimas mutationes, sensum verbis extorsit, quo illa opera Alexandro tribuenda videbantur. Earundem inscriptionum falsa sua interpretatione commotus Cuperus Arsacidarum habuit anaglypha *l*). Cuperi sententiam amplexus est Barthelemius *m*). — Explicandi haec conamina iterum refutare, superfluum foret, quum satis superque reiiciantur per De Sacyi acutissimam aeque ac certissimam inscriptionum explicationem. Per De Sacyum quum nobis constet, inscriptiones ad Sassanidarum nonnullos esse referendas, quumque ex numorum aliorumque monumentorum comparatione pateat, Sassanidarum tantum regibus singulas vestitus ornatusque partes convenire: eorum temporibus anaglypha illa deberi, extra omnem dubitationem positum est. Mirum videri potest, quod haec serioris aetatis anaglypha addita sunt monumentis longe antiquioris aevi. Cuius rei causa inde repetenda videtur, quod Sassanidae oriundos se existimaverunt ab antiquissima Achaemenidarum stirpe, destinatosque se praetenderunt ad restituendum felicissimi eorum imperii splendorem. Ut igitur luculenter demonstrarent clarissimam illam, qua semper superbiebant, originem, ipsorum effigies conspici, rerumque a se gestarum gloriam celebrari voluerunt eo ipso loco, quo veteris illius potentissimaeque stirpis reges sepulcris erant repositi. Dum ad singulorum monumentorum explicationem

h) Rustamo, instar Simsonis Hebraeorum et Herculis Graecorum, omnia praeclara et portenta tribuuntur. Gebrorum princeps fuisse dicitur. De eius fatis audias Auselyum: *Oriental Collections* by OUSELY II. p. 45. KLAPROTH's *Asiat. Magazin. I.* p. 18.

i) *Philos. Transact. XVII.* p. 776. *k*) *De religione vett. Pers.* p. 519.

l) *Lettres de critique par* GISBERT CUPER 1742. p. 29. 54.

m) *Histoire de l'academie des inscriptions. XXVI.* p. 595.

nem transimus, ab eo anaglypho iure fit initium, cui inscriptiones additae sunt; per hoc enim viam nobis parabimus, ad cetera monumenta explicanda, et tutam et facilem. Feliciter accidit, ut idem illud monumentum, tam propter iconum quas sistit significationem, gravius, quam quod conditione ceteris integriori est, secundius sit explicationi. Quum saepius idem hoc anaglyphum occurrat, hoc tantum loco accuratius erit pertractandum, in reliquis vero eiusdem generis effigiebus huc erit respiciendum.

1. Anaglyphum primo loco descriptum duos equites sistens annulum tenentes.

a) Inscriptionum explicatio.

Per Floveri operam duae nobis inscriptiones monumentorum Nakschi-Rustam innotuere *n*). Easdem exhibuerunt quoque Chardinus *o*) et Kaempferus *p*). Accuratissime eas depinxit Niebuhrus *q*), ita ut longe post se relinquat Morierum, unam tantum earum partem sistentem *r*). Inscriptionibus illis explicandis operam inpenderunt Hydius *s*) et Cuperus *t*), infelici tamen successu uterque, ille enim ad Alexandrum, hic ad Arsacidas eas retulit. Feliciorem manum iis admovit DE SACYUS *u*), qui tantum in iis restituendis probavit solertis animi acumen, tantam in iis explicandis eruditionis ingentem copiam, ut dubites utro praestet vir ille in literis Orientalibus summus. Pro fundamento totius disquisitionis ponit De Sacyus eam inscriptionum descriptionem, quam Niebuhrus exhibuit. Nihil enim valet reliquorum exemplarium inter se consentientium a Niebuhriano diversitas, quod, ut acute demonstravit *vir illustrissimus*, Floveri, Chardini et Kaempferi exemplaria ex uno eodemque fonte fluxerunt. Cavendum igitur est, ne plures auctoritates contra unam Nie-

n) FLOWER. in: *Philosophical Transactions* XVII. Nr. 201. p. 775. — *Philos. Transact. abridged* III. p. 526. Fig. 66. 67. 68. *Floveri* inscriptiones expressit HYDIUS: *de relig.* p. 517.

o) Tab. LXXIII.

p) ad p. 302.

q) Tab. XXVII. I.

r) Tab XXIX.

s) p. 516.

t) *Lettres* p. 29.

u) *Mémoires sur diverses antiquités de la Perse.*

Niebuhri accipias; accedit quod Niebuhro, ut semper, diligentiae debetur laus, negligentiae vero vituperium reliquis.

Inscriptio prima ita se habet ex De Sacyi restitutione *v*):

ΤΟΥΤΟ ΤΟ *προσωπ*ΟΝ ΜΑΣΔΑΣΝΟΥ
ΘΕΟΥ ΑΡΤ*αξαρου βασιλε*ΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΑΡΙΑΝΩΝ *εκ γενου*Σ ΘΕΩΝ ΥΙΟΥ
ΘΕΟΥ ΠΑΠΑ*κου* ΒΑ*σι*ΛΕΩΣ

Restitutio nominis *Αρταξαρου*, quod est regis, qui et alias vocatur *Αρταξερξης* et Persice *Ardeschir*, excusationem suam habet in adiecto illo *υιου θεου Παπακα*. A patre suo *Babek*, vel, ut habet Agathias, *Παβεκος*, cui per assentationem regis nomen tribuit nostra inscriptio, filius ille appellabatur *Ardeschir Babegan*. Epitetha *Θεος* et *εκ γενους Θεων* tituli sunt Sassanidis regibus aeque frequentes ac *βασιλευς βασιλεων w*). *Μασδασνος*, vocabulum ex lingua Pelvica petitum, indicat regem Ormuzdi cultorem sectatorem religionis Zoroastris, *masd* significat Ormuzdum, *iesnan* cultorem vel adoratorem *x*). Nomine *Iran* appellabantur omnes terrae intra fluvium Gihon et sinum Persicum, Euphratem inter et Indum; innuit igitur hoc vocabulum Persiam *y*). —

Quae quum ita sint; dubio caret, referendam esse hanc inscriptionem ad *Artaxerxem*, fundatorem Sassanidarum imperii (qui inde ab anno p. Chr. n. 226 usque 239 regnavit), eiusque illam esse effigiem, cui additi sunt hi characteres.

Inscriptio altera ita se habet:

ΤΟυτΟ ΤΟ ΠΡΟΣΩΠΟΝ ΔΙΟΣ ΘΕΟΥ

Consueverunt Graeci suorum deorum nomina in deos exteros transferre. Hinc fiebat, ut Hormuzdo, primo Persarum numini, nomen tribuerent Iovis, ipsorum deorum summi. Hormuzdi Dei nomen invenisse putavit, qui hanc Graecam inscriptionem ex lingua

v) *Memoires* p. 30. Literae minusculae complementa sunt.
w) THEOPHIL. SIMOC. IV. 8. p. 101. AMMIANUS MARCELL. XVII. c. 5.
x) DE SACY p. 39. *y*) Ibid. p. 59.

gua Pelvica vertit. Erravit vero ille: nimirum vocabulum *Hormuz* non solum divinitatis illius est appellatio, sed regis quoque e Sassanidarum stirpe tertii, quem *Hormisdam* Graeci, *Hormuz* Persae Arabesque appellant. Quapropter verus inscriptionis sensus esse videtur hic: Haec est figura Hormisdae Dei. Hormisdas imperium accepit anno post Chr. n. 271; decessit sequentis anni initio *z*).

In his inscriptionibus Graecis singulare accidit, ut additae sint aliis inscriptionibus *a*), lingua compositis diversa plane a Graeca. Quarum quidem versio est inscriptio Graeca, intermedia illis. De ignotorum illorum characterum quae sint eruditorum sententiae, discas a De Sacyo *b*), qui ipse de iis effecit, quae sequuntur: Referunt illi characteres duplex scripturae genus alterum ab altero quidem diversum, multis tamen rebus simile. Utrumque genus a dextra ad sinistram legendum est, et linguam refert diversam. Alterius inscriptionis verba ex lingua Pelvica possunt explicari; idcirco verosimile est, constare eam vel illa ipsa lingua vel dialecto parum a Pelvica diversa. Literae vocales in utroque inscriptionum genere non sunt expressae. Similitudo characteribus intercedit cum iis, qui in Sassanidarum numis obvii sunt.

b) Quo loco inveniantur illae inscriptiones?

De Sacyus hoc tantum effecit, cui anaglypho addita sit inscriptio I. (*τουτο το προσωπον Αρταξαρξ* etc.). Vix ulterius ei tuto progredi licuit, Morieri enim egebat subsidiis. Quum totius disquisitionis cardo in hac definitione vertatur, summopere studebimus, ut, auxiliante Moriero, certo evincamus, cui effigiei singulae singula addita sit inscriptio. (Ut argumentatio nostra ubique clara sit, necesse est, ut diligenter tab. II. conferatur). Parum accuratus est Flauerus *c*) contendens, inscriptionem I. incisam esse duobus equis,

z) DE SACY p. 63.

a) Cf. Tab. NIEBUHRI. XXVII. I. — Expressae sunt illae inscriptiones apud DE SACY, Tab. I. B.

b) *Memoires* p. 105.

c) *Philosophical Transactions*. XVII. p. 776. *These two characters* (intelligit inscriptio-

equis, quorum alterum *Alexandri*, alterum *Rustami* haberetur. De Bruynius *d*) certiores nos reddit, uter habeatur *Alexandri* equus. Eques scilicet qui annulum *tenet*, Alexander esse autumatur; est vero ille, quem *dextrum* tabula nostra sistit. Eques ei adversus, qui igitur *laevus* est, autore De Bruxnio *Darius*, teste Flauero *Rustamus* habetur. Hinc intelligitur, Flauerum *e*) hunc *laevum equum* indicare, quum dicit, inscriptionem II. (τȣτο το πȣοσωπον Διος θεου) incisam esse pectori Rustami equi. Insigniter nobis favet Morierus, qui autor est, inscriptionem I. (τȣτο το πȣοσ. Αȣταξȣαȣȣ) conspicuam esse in pectore *equi ad dextram f*) (qui habetur Alexandri). Iam vero addit idem *g*): *pectori equi adversi* (laevi scilicet et qui habetur vel Darii vel Rustami) *pari modo incisa est inscriptio eorundem characterum*;

scriptionem Graecam cum addita Pelvica) *are engraven on the breast of two horses, cut out of the mountain of black marble at Naccureſtand* (Nackschi-Rustam) *one whereof is said to be Alexander's, the other Rustram's.* Male expressit Flauerus: *on the breast of two horses*, ac si una illa inscriptio sic esset comparata, ut duo equorum pectora tegat, quum tamen singulam inscriptionem in singuli equi pectore esse conspicuam, et ratio doceat et Morieri testimonium.

d) IV. p. 364. *Deux hommes à cheval, dont l'un tient fortement un cercle que l'autre laisse aller. On prétend que le premier est Alexandre, et l'autre Darius, qui lui céde l'empire par cette action.*

e) *These two lines were writ entire on Rustram's horse. Philosoph. Transact.* l. c. — Falsa habet Flauerus: "*two lines*" nam una linea constat inscriptio Graeca, duabus vero ea quae lingua Pelvica composita Graecae addita est. Cf. Niebuhri tabula.

f) *Each of these horsemen trample on a body; that under the figure on the right is more correct and well preserved, than the other to the left. A Greek inscription is engraved on the chest of the first horse, composed of seven lines, the three first of which are illegible. Then nearly close under these lines are some characters, which are extremely effaced, but which I have endeavoured to copy exactly* (*Plate XXIX.*). *The are evidently the same as those which I saw at Shapour*, MORIER p. 126. Sive Morieri verba "*first horse*" ita accipias: equus primo loco nominatus, sive: equus qui se primum spectandum praebet venienti a meridie, semper est equus ad dextram. — Falsa sunt praeterea verba Morieri: *a greek inscripsion of seven lines;* Graeca inscriptio quum quatuor tantum lineis constet: pro Graeca habuerit necesse est inscriptionum Pelvicarum alteram, quae inscriptioni Graecae a superiori parte addita est, quamque, licet fuerit Morierо *illegible*, melior oculatus Niebuhrus exhibuit Tab. XXVII. I.

g) *On the breast of the opposite horse there is also a small but very effaced inscription in the same characters*, MORIER l. c.

rum, parva vero ea et perquam exesa. Satis inde, credo, apparet, eandem quam Flauerus exhibuit inscriptionem (τουτο το προσωπον Διος θεου), Morierum quoque innuere equo laeuo incisam. Quae quum ita sint, equiti ad dextram inscriptio I., equiti ad laeuam inscriptio II. addita est. Hinc eques dexter *Artaxerxem*, laeuus *Hormisdam* sistere videtur.

e) Monumenti significatio symbolica.

Saepius monumentum, de quo iam sermo est, occurrit, una vel altera parte magis minusve immutatum. Modo enim duo annulum tenentes equis insident, modo pedites sunt; modo armati modo sine armis conspiciuntur. Variae de eo sunt virorum doctorum sententiae. Alii enim singulare aliquod certaminis genus per hoc anaglyphum exhibitum putant, alii inveniſſe sibi persuadent, qui virium suarum experimentum faciant. Magis veritatem assecuti videntur, qui monumento symbolicam quandam tribuunt significationem. In quo tamen cavendum, ne de fide data et accepta, nec de coniugio ineundo (ubi scilicet foeminam anaglypho exhibitam inveniſſe putabant), symbolum accipias; utrumque enim et levius foret argumentum tali operi et recederet a more Orientis. Anaglyphum eo maioris momenti est, quo frequentius occurrit, et quo certius est, icones exhibitas regum esse imagines. Hoc enim, quod iam sola regia dignitas, qua conspicuae sunt figurae, ornatusque regius clarissime docet, inscriptiones extra omnem dubitationis aleam ponunt. Quae quum ita sint, symbolum fuisse videtur constans et perpetuum, per quod Persarum reges primarium aliquod factum, gravissimum imperii momentum aeternitati dare voluerint, ita ut ad ipsorum gloriam quam maxime faceret. Summi acuminis exemplum in hoc symbolo explicando prodit De Sacyus. Ex fasciis annuli dependentibus, quae similes sunt iis, quae a tiara regis fluctuant, colligit vir ill., annuli figuram diadematis esse signum, quo indicaretur imperii dignitas et potestas *h*). Ut in his prorsus consentio cum De Sacyo, ita tamen temperare mihi nequeo, quominus reiiciam quae ex illis colligit. Quum enim equitum alter Artaxerxem repraesentet Sassanidarum primum, de quo constat, non legitime adeptum fuisse imperii potestatem *i*); exhibitum putat hoc

h) DE SACY *memoires* p. 67. *i*) AGATHIAS II. 64.

hoc anaglypho De Sacyus *k*), *certamen de corona Artaxerxem inter et Artabanum.* Argumentum hoc foret tali monumento haud dubie gravissimum, quod et ego lubenter ei subesse largirer, si una saltem monumenti parte confirmaretur. Refragantur vero De Sacyi opinioni primum inscriptiones, quarum unicuique, si vera modo nobis nuntiaverunt peregrinatores, verum locum nos tribuisse, dubitari nequit. Repugnant deinde singulae monumenti partes. Eandem quam De Sacyus, inscriptionibus praecipue fulcitus, de hoc monumento protulit sententiam, ex solo effigierum ornatu et vestitu iam prius concepisse dicit Mongesius *l*). Qui hoc fieri potuerit, mirum me habet quam maxime, quum neutrius equitis vestitus et ornatus Arsacidarum aliquem indicet. Ubi enim in equite laevo, quem pro Artabano habet De Sacyus, sunt, quae exhibent Arsacidarum numi, capillus scilicet in cincinnorum ordines artificiose compositus, caput nudum solo diademate cinctum, vel mitra tectum, nullo inminente globo? Ubi in omni Arsacidarum antiquitate ingens illa bulla capiti regis inminet *m*)? — In equitum vestitu, ut tabula nostra docet, pauca quidem inveniuntur, quibus alter ab altero discrepat; non tamen illa sunt eius momenti, cuius esse solent in diversae stirpis regibus; accedit quod aliqua huius diversitatis causa fortasse in tempestatis iniuriam cadit.

Quaeritur iam quae nostra sit de hoc monumento sententia. Symbolum mihi esse videtur constans et perpetuum acceptae imperii potestatis, sive ab altero in alterum collocata sit, sive vi ea potitus sit aliquis; uno verbo *aditionis imperii symbolum.* Diversam propterea esse eiusdem significationem, pro diversa ratione, qua quis potitus fuerit imperio, verosimile est. Sequitur inde, certamen quoque de corona per illud monumentum interdum innui posse; ubique vero certaminis significationem subesse, vel unicum adeo illud argumentum, Arsacidas scilicet a Sassanidis devictos, quominus

k) *Memoires p.* 69.

l) *Memoires de l'instit. nat.* an. XI. Cl. III. T. IV. p. 195.

m) Cf. Numi Arsacidarum exhibiti apud illustriss. Visconti, *Iconographie Grecque* Tab. 49. 50. et ap. cl. Tychsenum, *Commentatt. Gott. recenc.* Vol. I. Tab. II.

nus anaglypho illo exhibitos putem, obsistunt alia eiusdem generis symbola, quibus nec Arsacidae devicti, nec omnino reges dimicantes, ut inscriptiones iis additae docent, exhibiti sunt *n*). Quomodo vero significatio illa cum nostro anaglypho quadret, quid sibi velint avus et nepos in uno monumento coniuncti, eo difficilius est intellectu, quo certius constat, multo post obitum Artaxerxis imperium adeptum fuisse Hormisdam. En quae mea est sententia. Hormisdas se sisti curavit imperii potestatem adipiscentem, pietate vero ductus erga eum, qui stirpi Sassanidarum imperium recuperaverat, quique autor quasi erat gloriae, quam iam ipse adipiscebatur, Artaxerxem illum, avum suum ita simul secum exhibet, ac si ab eo offeretur ipsi regia potestas. Fidem facit aliquam, quod, secundum Niebuhri effigiem, iuvenilem aetatem vix ignores in equite laevo, multo vero seniorem se manifestet eques ad dextram, Artaxerxes. Vel sic tamen meam sententiam nihil nisi coniecturam esse, cui non valde insistam, si certiora modo proferentur, ipse ingenue profiteor: superstructa enim est coniecturae, qua Hormisdae nomen restituit De Sacyus. Quae vero coniectura quid si iterum acutior foret quam verior? Num fortasse alius subest inscriptioni sensus, adest fortasse nomen Saporis? Videtur nobis non integra hucusque inscriptio illa exhibita fuisse: Graeca enim inscriptio versio est alterius quae ex duabus lineis constat; in omnibus vero ceteris inscriptionibus linea Graeca lineae inscriptionis Pelvicae respondet. Cui denique accedit verosimilitatis causa, ex qua vix sperandum, ut Hormisdae nomen in monumento aliquo inveniatur. Non ille fuisse videtur Hormisdas, qui monumentis condendis multum tribuere et voluisset et potuisset: brevissimum enim eius fuit imperii tempus; inpendit praeterea totam fere vitam literis et inprimis philosophiae *o*). Sed satis coniecturarum, res ad liquidum fortasse deduci potest per peregrinatores futuros, qui habeant quo oculorum aciem convertant.

d) Singulae monumenti partes.

Dum ad figurarum cultum et vestitum illustrandum procedimus, initium faciamus a *capitis ornamento*, de quo quanta sit confusio, et quomodo sibi contradicant scriptores, facile tibi persuadebis ex Polluce

n) Cf. monumenta urbis Kirmauschah.

o) D'Herbelot l. h. v.

lice *p*), Hesychio *q*) et Suida *r*). A primis inde temporibus insigne regum Persarum ornamentum fuit *tiara*, quae generali vocis sensu quodvis Persarum capitis tegmen indicasse videtur. Nisi hoc accipias, vix te extricaveris omnibus super ea difficultatibus. Antiquissima tiarae forma ea fuisse videtur, quae in monumentis Persepolitanis apud *Chardinum* Tab. 63. 64 et *Niebuhrum* Tab. XXV. C., aeque ac in numis, apud cl. *Tychsenum s*) Tab. I. Nro. 4. 6. 7. 10. occurrit, quaeque *recta et neque lata* a superiori et inferiori parte, similis est Turcorum capitis ornatui, quem turbanum vocant. Recta tiarae forma servata, in superiori eius parte variabant Persae, modo enim *plana* fuit modo *radiata t*). Unicuique Persarum licuit tiaram gestare, nec tamen rectam, sed vel *demissam*, vel *inclinatam*, vel adeo *in acutum desinentem u*). Huius generis esse videntur, quas obviam habes apud *Niebuhrum v*). Sassanidae quum sibi sumsissent veterum Persarum potestatem restituere, ipsi cultum vestitumque Achaemenidarum assumserunt. *Eunapius w*) refert, Saporem tiaram rectam (ὀρθὴν τιάραν) gestasse. Eundem usum quoque obtinuisse apud ceterorum Sassanidarum plurimos, et verosimile est, et fidem faciunt numi. Ex *Agathiae* vero verbis et *Nicephoro*, ut putat Mongesius *x*), vix colligas, utro tiarae genere ornatus fuerit Artaxerxes. In nostro saltem monumento habet *tiaram rectam*, *a supe-*

p) VII. 13.

q) s. v. κυρβασία et κίδαρις.

r) s. v. τιάρα, κίδαρις, κύρβασις. Cf. quoque: Relandi *dissertatt. misc.* II. 8. p. 160.

s) *Commentatt. Gotting. rec.* I.

t) Cf. numi apud cl. Tychsen, *Commentatt. soc. Gott. rec.* I. Tab. I. Nro. 1. 2. 3. 14.

u) Scholiasta *ad Aristoph. aves* v. 487. Hesychius s. v. τιάρα.

v) Tab. XXII.

w) Aedes. p. 46. Commel.

x) Mongez, *Memoires de l'inst. nat.* an XI. Cl. III. T. IV. p. 186. — Ἀρταξέρξης μὲν Ἀρτάβανον ἀναιρεῖ τὸν βασιλέα· ἑαυτῷ δὲ περιθεὶς τὴν κίδαριν, Agathias II. p. 64. Cuiusnam cidarin? Quam gestaverat Artabanus, ut putem. Nihil aliud colligitur quoque ex *Nicephoro*. (I. p. 55. ed. Paris.). Hic tiarae usus confirmatur per numos, qui Artaxerxis protomum sistunt cidari rotunda, nullo imminente globo, cf. Visconti Pl. 51. Nr. 1. Tychsen, *Commentatt. Gott. rec.* II. T. I. Nro. 1. Putat Tychsenus, hunc capitis cultum a Parthis sumtum fuisse. *Commentt. Gott. rec.* I. p. 17.

superiori parte trifidam, ad instar eius quae in Daricis est. Hanc igitur sumsit Artaxerxes ab Achaemenidis; addita vero sunt alia in fastum et superbiam. Tiara instructa est *diademate*, non eo quidem quo cincti erant Achaemenidae, plano scilicet et simplici; sed *vittis et fasciis ornato post tergum ventus flatu undantibus.* Peculiare hoc et primarium fuisse videtur ornamentum, ita enim semper exhibitum habes regis protomum, ut illae fasciae sint conspicuae. Memorantur apud *Ammianum Marcellinum y*). Tiarae superstructa est *bulla ingens*, peculiare Sassanidarum ornamentum. Significationem habere videtur symbolicam, et vel solem vel terrarum orbem innuere. Universae terrae potestatem illo globo fortasse indicare voluerunt. Fidem faciunt superbissimi Sassanidarum tituli, quibus *participes siderum, fratres solis, totius orbis domini, reges regum* et sic porro, audiunt *z*). Quod attinet ad Artaxerxis *capillum largum et crispum, ad barbam crispam et promissam*, utrumque Sassanidis est peculiare. Huc pertinet dicterium Vespasiani, quo cometen illusit, dicens, ad Persarum regem pertinere, cui capillus effusior *a*). Hoc tamen discrimen inter Arsacidas et Sassanidas obtinebat, quod illi multa arte in floccos vel cincinnos capillum componebant, hi vero effusum flatu venti agitari sinebant. Nec tamen Sassanidarum capillo nullam artem adhibitam fuisse, docet *Libanius b*). — *Vestis*, qua indutus est Artaxerxes, praelonga et fluitans, *Medica* proprie dicitur; a Medis enim hoc vestimenti genus acceperunt Persae *c*). Vestimenti quaedam partes, praecipue ex tabula Niebuhriana, a tergo lato sinu fluctuant. Confirmat igitur hoc monumentum locum *Ammiani Marcellini d*), quo certiores simus, Persarum vestes ita fuisse comparatas, ut ventorum flatibus moverentur fluctuarentque. In tabula Niebuhriana non pallium est, quo indutus conspicitur Artaxerxes, sed tunica. De ea vero habet *Pollux e*), fuisse quoque Persis

y) XXX. 8.

z) AMMIANUS MARCELL. XVII. 5. SIDONIUS APOLLIN. *epist. VIII.* 9. THEOPHILACTUS SIMOC. IV. 8. p. 213. ed. 1604. Ingolstadii.

a) SEXT. AUR. VICTOR *de vita et morib. imp.* c. IX. §. 18. SUETONIUS *vita Vespasiani* c. 23.

b) LIBANIUS in *Basilico*, Tom. II. p. 134. ed. 1627.

c) Cf. loca a Brissonio p. 71. et 543. congesta.

d) XXIII. 6. *e*) VII. 13.

Persis tunicam manicis instructam post humeros affixis. Et nunc etiam in Asia eundem morem obtinere, contendit Mongesius *f*). In pluribus monumentis occurrit hoc ornamentum, quod insigniter fecisse videtur ad fastum Asiaticum.

Eques Artaxerxi adversus, excepta tiara, pari ratione vestitus, ex omni parte Sassanidarum aliquem indicat; num capitis ornamentum obstet, videbimus. Non unicum tantum fuit Sassanidarum tegumen: vulgarior quidem erat tiara recta (quamquam et in hac ex parte variabat mos), attamen et *cidaris rotunda* occurrit. Sic e. c. Artaxerxes in numis habet cidarin in galeae modum rotundam, globo superstructo, duplici diademate cinctam. Item fere exhibitum habes *Hormisdae* protomum *g*) et *Balasis h*), neutri tamen globus additus est. Hinc igitur aperte probatur, non solis Arsacidis peculiarem fuisse cidarin rotundam, sed Sassanidarum quoque plures (inter quos ipse Hormisdas) ea usos fuisse *i*). Quid multa? quum omnia reliqua non abhorreant a Sassanidarum corporis cultu, occurrat vero, quod iis solis peculiare est (globi scilicet figura) *k*), Sassanidarum aliquem exhibitum esse, persuasissimum mihi stat. — Pedissequus, qui muscarium tenet, tiaram habet in acutum desinentem, qualem vulgo gestare permissum erat.

De equorum ornatu non habeo quod afferam. Quid sibi velint figurae oblongae catenis annexae, aliis explicandum relinquo. Homines illi duo, qui equorum pedibus prostrati subiacent, devictos fortasse reges indicant; in iis singulare hoc est, quod uterque capitis-tegmen habet, quod gerit eques prostrato insistens *l*).

2. Anaplyphi secundi quae sit significatio, vix poterit explicari, cum inscriptionibus careat. In eo igitur acquiescas necesse est, Sassanidarum temporibus esse tribuendum. Tiara in bullam expansa, gladi-

f) MONGEZ in: *Memoires de litterat.* an. XI. Tom. IV. p. 21.

g) Cf. VISCONTI. Tab. 51. Nr. 1. 2. 5. TYCHSEN, *Commentatt. Gott. rec.* II. Tab. I. Nro. 1. 2. 4. DE SACY, Tab. VI.

h) DE SACY l. c. 8. VISCONTI l. c. 10.

i) TYCHSEN, *Commentatt. Gott. rec.* I. p. 14.

k) Cf. tota numorum Parthicorum copia, in nullo eorum globus ille invenitur.

l) Cf. tabula *Niebuhri*; *Morierus* in hac re parum accuratus est.

gladius praelongus, capillus effusus, vestis fluitans et demissa, pro nostrae sententiae veritate testimonia sunt satis certa.

3. Icones loco tertio a nobis descriptae, quae duos equites sistunt lanceis se petentes, valde expertae sunt tempestatis iniuriam; vestitu fere toto exeso, pauca praeter corporis lineamenta supersunt. Hinc factum, ut dissimiles quodammodo appareant reliquis Sassanidarum operibus; nihilo secius tamen eorum aevo tribuendae sunt. In capitis ornatu restituendo, si quid video, valde erravit pictoris manus. Tegmen, quod habet eques ad laevam, fuit fortasse tiara rotunda, globo superstructo; galea enim Graecorum more comparata debetur pictoris phantasiae. Galeis Persae in proelio non utebantur, sed solas in capite tiaras gestabant *m*). Memorabiles sunt in hoc anaglyphypho globorum figurae, quae tegminis apicibus inminent. Fuit Persarum militum genus, cui nomen μηλόφοροι *n*), quod ad regum satellites pertinebat. Habebant illi aurea mala hastis praefixa, insigne honoris documentum. Ad quem quidem militum numerum pertinere non videtur nostra effigies, nam capitis ornatus inque eo diadema duplex regem indicat. Conspicui igitur fortasse reges quoque erant illis aureis pomis, quos tamen alio modo in ornatum convertebant. Singulare inprimis est pedissequi signum, globis quinque instructum. Honoris causa et hoc equiti additum esse videtur: signo militari vix locus est, illud enim non huius generis fuisse, testantur veteres, qui nos edocent: *aquilam* fuisse regale in bello signum *o*). De pharetra, quae inmensae magnitudinis dextrum equitis latus occupat, testantur veteres: sub gerris et scutis ex humeris pependisse, eamque nunquam deposuisse Persas *p*).

4. Anaglyphum quarto loco a nobis descriptum, equitem sistens, ad cuius pedes supplex quidam genu innixus apparet, inprimis memorabile est. Et quoad eius significationem recedendum mihi videtur a De Sacyi sententia. Putat scilicet vir cl., omnibus anaglyphis hoc loco exhibitis unum idemque argumentum subesse *q*), arcte

m) Cf. loca apud *Brissonium* collecta, p. 659.

n) ATHENAEUS XII. 8. *Brissonius* p. 270 sqq.

o) PHILOSTRATUS *Icc.* II. 32. CURTIUS III. 3. 16.

p) HERODOTUS VII. c. 61. HERODIANUS VI. 5. 9.

q) *Memoires* p. 66.

arcte vero cohaerere hanc effigiem cum ea, quam loco primo descripsimus: illam enim regem sistere de corona certantem, hanc vero alterum victorem alterum devictum et supplicem repraesentare. Cui vero sententiae repugnat primum verosimilitatis ratio; vix enim probabile est, solum Artaxerxem honoris stimulum instigasse, ut sui memoriam relinqueret hac regione, quae antiquitas memoria veterum inclaruit. Docent vero monumenta ipsa, non unum modo Sassanidarum hoc loco aeternitati se dedisse. Non tantum monumentum *Nackschi-Radjab*, vix unius horae intervallo a nostris anaglyphis distans, ut per inscriptiones constat, ad Saporem I. Sassanidarum alterum, pertinet: sed hoc ipso loco invenitur inscriptio, quae ad Hormisdam, ut videtur, referenda est. De Sacyi sententiae, quod anaglypho primo cum quarto arctissima coniunctio intercedat, repugnat effigierum in utroque monumento obviarum diversitas. Illic enim Sassanidae obvii sunt; in hoc vero anaglypho eques quidem regem sistit e stirpe Sassanidarum: *supplex* autem vestitu et habitu Romano simillimus est. Vestis vix crura tegens, mitra rotunda et depressa militem Romanum vix ignorari sinunt. Quibus omnibus accedit, quae obstat opinioni De Sacyi causa gravissima: testatur Morierus, simillimum plane esse nostrum monumentum anaglypho cuidam inter rudera urbis Schapur obvio. Quae contendit vir accuratissimus, confirmat tabularum aenearum comparatio; clarum inde mihi esse videtur, utrique effigiei idem subesse argumentum. Monumentum vero Schapurianum si recte a nobis explicatum est, et hoc anaglyphum Sapori I. (qui regnavit inde ab a. p. Chr. n. 240 usque ad 270.) necessario est tribuendum. Cum itaque hoc loco repetitio tantum sit eiusdem argumenti, ablegamus lectorem ad rudera urbis Schapur, ubi accuratius de utroque monumento agetur.

5. Anaglypho loco quinto a nobis descripto repetitam habes symbolicam illam duorum de annulo certantium effigiem, multis tamen partibus hic inmutatam; pugnantes scilicet pedites sunt, et, quod maxime foret memorabile, si certo posses inniti peregrinatorum testimonio, figurarum altera foeminae habet speciem. De ea paulo accuratius agamus. In pluribus monumentis Persicis peregrinatores priores feminarum imagines reperisse sibi videbantur. Simulac vero eadem monumenta accuratiori examini subiiciebantur,

tur, evanuerunt foeminae *r*), quae priorum peregrinatorum errori tantum debebantur. Secus quidem se habet res quoad nostrum monumentum, in quo Morierus adeo foeminae figuram agnovit *s*). Sed firme mihi persuasum habeo, peregrinatorum errori et hanc effigiem foemineam ortum suum debere. Primum innitor testimoniis Figueroae *t*) et Chardini *u*), qui nullam omnino feminam invenisse se contendunt; deinde tempestatis iniuria, quae ita figuras exesit, ut totum adeo anaglyphum effugerit nonnullorum oculos, quaeque effecit ut facile false accipi potuerint icones. Maxima porro inter tabulas De Bruynii et Kaempferi diversitas demonstrat, unumquemque pro ingenii arbitrio figuram illam effinxisse, ideoque, dum exesas partes restituere conaretur, exhibuisse, quae nunquam rupi inciderat sculptor. Vestitus figurae pro femina vulgo habitae similis est ei, quo induta conspicitur figura regia adversa, omninoque ita comparatus est, ut ex multis partibus vera divinari liceat. Capitis tegmen ex inferiori parte coronam refert tripartitam, cui inminere fecit pictor, quae ita esse non potuerunt; exteriora tamen huius ornatus lineamenta quum globi formam quodammodo reddant, nihil nisi globum agnosco. Barba multis aliis figuris masculis in monumentis deest, quod vel in rege iuvene vel potius in tempestatis iniuria excusationem habet. De Bruynii phantasiae debentur figurae mammae in Kaempferi effigie haud conspicuae. — Primaria denique causa, ex qua foeminam nostro monumento abesse putem, est, quod talis repraesentatio abhorreret a more Orientis. Constat enim, Persarum reginis, huius praecipue dynastiae, nec commissam fuisse reipublicae curam, nec omnino participes eas fuisse rei alicuius ad rempublicam pertinentis; qui igitur exhiberi potuit reginae effigies monumento, quod, ni certum est, symbolum esse imperii ab alio in alium collocati, argumentum saltem habet ad summum imperium pertinens. Ast, dicas fortasse, rex dilectissimae coniugis effigiem simul secum sisti curavit, ut indicium esset sui in eam amoris. Vel hoc, ut putem, quam maxime abhorreret a more Orientis; vix enim tolerasset rex, circa feminas suas tam invidus, dilectissimae earum effigiem oculis omnium expositam esse. — Quae quum ita sint, nihil agnosco, quam symbolum illud supra descriptum, paucis

r) Cf. infra monumenta urbis Kirmanschah. *s*) Morier p. 127.
t) p. 160. *u*) VIII. p. 345.

paucis immutatis, hoc loco repetitum. Qui vero e regibus Saſſanidis exhibiti ſint, iterum in medio eſt relinquendum, quod inſcriptionibus egemus.

C. Monumenta incerti aevi.

Ante finem iugi, qua parte in orientem vertitur, obiciuntur oculis duae turres, incolis *Selgi Salmum* i. e. petra Salomonis dictae. Pro ſaxi conditione obtinent formam inaequalem et inparem. Kaempferus, qui, quod equidem ſcio, ſolus eas deſcripſit *v*), cum ex ſitu loci, tum ex inſigni cavitate utrique exciſa, in qua ignis materies commode ſervari poterat, pharos eas fuiſſe putat. Sculptura, teſte Kaempfero, recentiora ſaecula innuit, et quaſi Gothica manu fabrefacta videtur.

Duae praeterea columnae humano amplexu craſſiores et cylindraceae conſpiciuntur, quarum una non procul inde in planitie ſita eſt *w*), altera vero hoc ipſo loco, in ſummo montis faſtigio reperitur. Praeter alium columnae apicem ſex pedum altitudine, invenit Morierus *x*) montis faſtigium in formam quadrati viginti pedum aequatum, inque eius ſuperficie thronum novem pedum longitudine et ſex latitudine, ad quem per quinque gradus adſcenditur.

Anaglyphorum ſerie relicta, orientem verſus duae arae conſpiciuntur, forma quadrata, quarum altitudo ſex pedes, ſingulum latus tres tantum aequat. Inſiſtunt fundamento alicui elatiori. In earum ſuperiori parte aperturam obſervas quadratam.

In extremo denique montis verſus orientem excurrentis ſinu conſpiciuntur viginti aperturae, in feneſtrarum formam, diverſa quidem menſura, eadem vero ratione, rupi inciſae. Singula apertura inſignita eſt inſcriptione, cuius characteres diverſi ſunt ab omni inſcriptionum genere a Moriero invento *y*).

Omnia modo recenſita diligentiorem ſibi exposcunt deſcriptorem, priusquam de eorum aetate et uſu quid certi poteſt proferri.

CAPUT

v) p. 308.
x) p. 125.
w) KAEMPFER p. 308.
y) MORIER p. 128.

CAPUT IV.

Nackſchi-Radjab.

A. Deſcriptio.

Media via, quae ducit a ruderibus Tſchil-Minar ad reliquias, quae vocantur urbis Iſtakar, invenitur monumentum *Nackſchi-Radjab* (effigies Radiab), ita dictum a fabuloſo quodam Perſarum heroe, cuius figura anaglypho exhibita praedicatur. Conclave eſt totum e rupe exciſum, cui nec a ſuperiori parte tectum, nec a fronte paries unquam fuiſſe videtur. Tres reliqui parietes figuras referunt forma coloſſica.

Anaglyphum parietis orientalis, qui frontem praebet intranti, ſeptem conſtat figuris, decem pedum altitudine. Duae primariae figurae mediam partem occupant, iis intermediae ſitae ſunt duae aliae forma minima. Maiorum figurarum quae ad laevam eſt generali ſpecie par eſt ei, quam ſaepius obviam habes in monumentis Nackſchi-Ruſtam et Schapur. Caput eius ornat tiara, globo inminente; laeva tenet clavam, dextra annulum offert figurae obverſae, dextra annulum arripienti, laeva pari modo clavam tenenti. Priori figurae a tergo ſtant duo pediſſequi, quorum alter, quem pro femina falſe accipit Morierus, flabellum regis capiti ſupertendit; alter eadem ratione manum allevat, quare iure ſuſpiceris umbrellam eum tenere, quam tamen tempeſtatis iniuria exeſit; duo tales pediſſequi in monumentis coniuncti occurrere ſolent. Gladio permagno inſtructi ſunt ambo. Poſt figuras principes ad dextram ſitae ſunt duae imagines, quas pro femininis iterum habet Morierus. Non mihi perſuaderi ſino. Quum pediſſequis modo deſcriptis ſimillimae ſint geſtu cultuque, neque tamen ad effigiem ſupra deſcriptam pertineant; eadem, ſi quid video, repeſita fuit icon; ex qua vero nihil niſi extrema pars, quae ſcilicet pediſſequos exhibebat, reſtitit. Totum anaglyphum, perquam exeſum, deſcripſerunt et tabulis ſtiterunt *Niebuhrus a)* et *Morierus b)*.

Latus

a) II. p. 153. Tab. XXXII. B. b) p. 137. et Tab. eidem paginae addita.

Nachtschi-Radjah

Latus conclavis septentrionale, parieti descripto ad laevam, anaglyphum occupat, paucis exceptis, statu satis integro servatum. Primariam figuram non ignores, equo insidentem, ornatus vario genere perbelle decoratam, corporis statura proeminentem ceteris figuris, quae omnes, una serie, ordine decrescenti positae, reverentiae simul et dignitatis speciem prae se ferunt. Figurarum minima novem pedes alta est; inde reliquarum discas figurarum mensuram. Equi pectori incisa est inscriptio Graeca. Picturas habent *Niebuhrus c*) et *Morierus d*). Ex aere Morieri desumta est nostra tabula III.

Pariete huic tabulae conversо, meridionali conclavis parte, eadem conspicitur effigies, quam saepius descripsimus, equitum scilicet duorum de annulo certantium.

B. Explicatio.

Vix dici opus est, nos iterum Sassanidarum monumentum descripsisse. Hoc, quod ex ipsis anaglyphis aperte prodit, fidem accipit per inscriptionem, quae equiti illi, figurarum primariae, tabula nostra conspicuae, addita est. Inscriptionis eadem est conditio, quam notavimus in describendis monumentis Nackschi-Rustam. Graeca inscriptio, ut De Sacyus probavit, versio est earum, quae vel sermone Pelvico, vel dialecto parum ab illo diversa simul additae sunt. Graecam inscriptionem ex Niebuhri *e*) accurata descriptione ita restituit De Sacyus *f*).

ΤΟ ΠρΟΣωΠΟΝ ΤΟΥΤΟ ΜΑΣδαΣΝΟΥ ΘΕΟΥ
ΣΑΠορΟΥ βΑΣΙΛΕΩΣ βΑΣΙΛΕΩν αριαΝΩΝ
ΚΑΙ ΑΝΑΡΙΑνΩΝ Εκ γεΝΟΥΣ ΘΕΩν υιου
ΜΑΣδαΣΝΟΥ ΘΕΟΥ ΑΡΤαξΑΡΟΥ βασιλεως
ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΙΑΝΩΝ ΕΚ ΓΕΝΟυς θεων
ΕΚΓΟΝΟΥ ΘΕΟΥ ΠΑΠΑΚΟΥ ΒΑΣΙΛεως

Ex hac inscriptione prodit effigiem cui addita est, Saporis esse I. Sassa-

c) II. p. 153. Tab. XXXII. A. d) ad p. 137.

e) Vol. II. Tab. XXVII. F. G. H. Quatuor lineae litera F notatae, ante equi pectus incisae sunt; lineae quatuor ignotorum characterum et lineae sex characterum Graecorum, litera G. H. notatae, in equi pectore conspicuae sunt.

f) *Memoires* p. 31. Planche I. A. Nro. 1-4.

Saſſanidarum II. De ſingulis inſcriptionis partibus hic agere non attinet, ſupra enim explicationem invenerunt. In univerſum de anaglyphis noſtris monet Morierus, maiori arte perfectiorique manu eſſe exſculpta, quam monumenta Nackſchi-Ruſtam et Schapur. Quam ſententiam confirmat noſtra imago. Eſt imo haec cauſa, quapropter partis horum anaglyphorum primariae effigiem ſtitimus. Inter omnia enim Saſſanidarum opera, nullum inveniſſe meminimus, in quo maior artis perfectio conſpicua ſit et ex quo plenius discas totum corporis veſtitum ornatumque.

Totius anaglyphi non ea, quae reliquorum longe plurimorum monumentorum, fuiſſe videtur ratio, ut factum aliquod hiſtoricum, vel clarum quoddam vitae momentum poſteritati daret, ſed potius ut exhiberet Saporem toto regio ornatu conſpicuum, ſatellitibus ſuis ſtipatum; fortaſſe adeo, ut putat De Sacyus *g*), ab expeditione aliqua reducem, victorem eum et triumphantem. Ad ſplendorem et faſtum omnia comparata ſunt. Sapores quamquam equo inſidens, commode tamen ita converſus eſt, ut ornatum totum oculis oſtendat. Manu dextra zonae addita, paululum equo reclinans, ipſe libertatis, dignitatis et poteſtatis ſpeciem prae ſe fert.

De ſingulis nonnullis partibus accuratius videamus, omiſſis tamen iis, quae alias explicavimus. In capitis ornatu praeter reliqua ornamenta, obviam quoque habemus diadema duplex, ventu agitatum. Cuius ferendi morem Artabanum inveniſſe, docet *Herodianus h*). Qua re indicare ſe voluiſſe videntur Saſſanidae *reges regum*. Collum Saporis ornat monile, gemmis vel margaritis inſtructum. Notant hunc morem *Xenophon i*) et *Ammianus Marcellinus k*); conſtabant monilia aeque ac armillae, non ex auro tantum, ſed ex gemmis, lapillis, margaritis *l*). De ornamento pectoris, gemmis, ut videtur, diſtincto, nihil memoratum inveni apud veteres.

g) *Memoires* p. 70.

h) VI. 6.

i) *Anabas* I. 2. 27. I. 8. 29. *Cyrop.* I. 3. 2. alib.

k) XXIII. ſub. fin. Armillis uti monilibusque aureis, et gemmis, praecipue margaritis, quibus maxime abundant, aſuefacti poſt Lydiam victam et Croeſum.

l) *Chares Mitylenaeus* apud ATHENAEUM III. c. 14.

res. Zonae mentiorem iniicit *Curtius m*) cuius verba sunt haec: *Zona aurea muliebriter cinctus* (rex Persarum) *acinacem suspenderat, cui ex gemmis erat vagina.* Hanc acinacem conspicis quoque in nostro monumento, plura eius fuerunt nomina, Persarum peculiare fuit ἀκινάκης *n*). Ante omnia vero notatu dignae sunt, quae saepius a veteribus memorantur, quaeque vix alibi tam bene sunt conspicuae, braccae amplissimae et praelongae. Audiunt ἀναξυρίδες *o*). De quibus qui veterum loca congesta legere cupit, adeat *Brissonium p*) et *Salmasium q*).

De reliquis huius anaglyphi figuris pauca tantum memoranda sunt; plurimi πυργωτὸν πίλημα habent. Quae vero ceteris capite proeminet, tegmen gerit in acutum desinens, de quo iam antea; reliquarum statura maxima tiaram habet bucculis instructam, Magorum more comparatam.

Ceterorum huius conclavis anaglyphorum figurae ita laesae sunt, ut coniecturis super iis abstineam. Ad Saporem tamen et eas esse referendas iure existimes.

CAPUT V.

Meschid-Mader-Suleiman, (ad vicum Murghâb).

---

1. *Descriptio.*

Undecim milliaria Germanica *a*) septentrionem versus a Persepoli situs est vicus Marghâb, cui adiacent rudera, quae omnia coniunctim nomen gerunt; *Meschid-Mader-Suleiman* (مسجد مادر سليمان) *h. e. templum matris Salomonis.* Structurae insolentia iis eminet

m) III. c. 3. §. 18. DIODORUS SIC. XVII. c. 77.

n) BRISSONIUS p. 634.

o) HERODOTUS VII. 61.

p) p. 83.

q) SALMASIUS *in Aelium Lampridium: Scriptt. hist. Aug. p.* 222.

a) Colligitur haec distantia ex diariis *Kinneiri* et *Mandelslohi* (KIN. p. 461. MAND. p. 12.)

eminet aedicula parva, diabolorum aula apud incolas dicta. Primus eius mentionem iniecit *Iosaphat Barbaro b*). Post eum non modo descriptionem sed picturam quoque monumenti exhibuit *Mandelsloh c*). Obiter tantum *Kinneir d*) de antiquitatibus huius regionis locutus est. Accuratius quam peregrinatores modo nominati de his monumentis egit *Morier e*); praeter ruderum descriptionem exhibuit aediculae istius effigiem, ut videtur, satis bonam, tabula nostra IV. expressam. Attamen multa peregrinanti futuro relicta sunt praestanda.

Dimidii milliarii spatio a vico Murghâb, via communi quae Persepoli Isfahanum ducit relicta, quum ad laevam deflecteret Morierus, pervenit ad fluvium quendam, cui adiacet vicus Meschid-Omûn. Inde post dimidiae horae iter rudera invenit supra nominata. Primum conspicatus est pilae erectae scaphum, aequum, sine capitulo, decem pedum quinque digitorum ambitu. Haud longe inde affuerunt tres aliae pilae, ab anteriori parte excavatae, a latere inscriptionem exhibentes characterum cuneiformium *f*). Ex reliquis murorum ruderibus circa sparsis colligit Morierus, pilas atrium quondam effecisse, cuius interior pars columnis fuerit ornata. Similis structurae monumentum ab illo loco distat centum et quinquaginta ulnas, simili inscriptione insignitum. Intermedium spatium, itemque totam fere planitiem occupant fragmenta marmorea.

Inde quum versus occidentem procederet Morierus conspicatus est duo aedificia, quae, spatio quôdam inde distans levioris habuit momenti; propius tamen aggressus, attentione reperit dignissima. Alterum Muhamedanicae structurae, iam diversorium efficit; porta quae arcus formam a superiori parte refert, inscriptionis Arabicae reliquias exhibet. Alterum forma est ita insolens, ut *diabolorum aula* Persis audiat *g*).

Parva aedicula, unum et viginti pedes longa sedecim pedes lata, insistit basi, quam septem efficiunt strata lapidibus caesis permagnis

b) BIZARI *rerum Persicarum historiae* p. 474.
c) p. 12. *d*) p. 78.
e) p. 144.
f) Inscriptionem exhibet MORIER, Tab. 29. ad p. 357.
g) The court of the deevis or devil, MORIER p. 144.

Tab. IV. p. 55.



Meschid - Mader - Suleiman

magnis composita. Strata, quorum infimum longitudine est quadraginta trium pedum, latitudine triginta septem, ea ratione invicem posita sunt, ut ad fastigium usque et latitudine et longitudine decrescant. Quo fit ut monumentum pyramidis quodammodo habeat formam. Singuli lapides, quorum nonnulli longitudine aequant quatuordecim pedes et digitos octo, crassitie quinque pedes, latitudine tres pedes et sex digitos, fibulis ferreis compacti sunt. Aedicula tectu est instructa triangularis formae. Portam habet versus orientem spectantem *h*), ita angustam, ut vix singulus homo per eam possit penetrare. Interior pars, quam per fores contemplatus est Morier, singulum efficit conclave, omnibus rebus vacuum, fumo offuscatum *i*). Foeminae cuidam portae clava commissa est; solis foeminis introire licet. Aediculae ipsi undique inscriptiones incisae sunt, spectatorum testificantes piam mentem; nullum tamen veteris vel Persicae vel Arabicae linguae indicium adest. Praeter multa alia fragmenta marmorea, quatuordecim columnarum scapi spectantur, qui quidem ordine quodam positi, porticum fortasse olim effecerunt; iam vero muro terraceo, qui monumentum ambit, iniuncti sunt. Totum intra hoc sepimentum spatium coemeterio inservit; multosque lapides sepulcrales recentioris aevi spectandos praebet.

2. *Variae de ruderibus sententiae.*

Monumenta haec omnia coniunctim nomen traxerunt ab aedificio illo singularis structurae, quo repositam putant Persae matrem Salomonis, quodque idcirco religiose colunt. Non magis autoritatis huic sententiae esse tribuendum, quam ei, ex qua notissima illa Bethsaba eo condita perhibetur, nemo est qui non videat. Qui paulo doctiores inter Persas se putant, contendunt, esse sepulcrum non matris Salomonis sed *Solymanis*, chalifae decimi quarti, qui anno post Chr. n. 715. regnavit *k*). Est haec opinio haud dubie con-

h) Barbaro in: *Bizari Persar. hist.* p. 474.

i) De hac re nihil monent reliqui peregrinatores, e quibus Venetus ille Barboro introisse adeo videtur conclave; habet enim inter alia et haec: *in pariete illius* (aediculae) *characteres Arabici, ad hunc modum expressi: Mater Suleimen, hoc est mater Salomonis*. Bizarus l. c.

k) Elmacinus *hist. Sarac.* p. 87.

coniectura, nominis similitudine fulcita, eique cum hac ipsa de causa, tum inde, quod aediculae structura plane abhorret ab omnibus Muhamedanorum sepulcris *l*), nulla fides debetur. Celebriorem monumentis originem tribuere studet Morierus. Haud enim se dubitare dicit, aediculae situs si aeque conveniret Pasargadis, ac monumentum ipsum descriptioni Cyri sepulcri apud veteres scriptores, ad Cyri usque aetatem aediculam illam referre. Qua Morieri sententia commotus rationibus probare studet cl. Grotefendus, rudera illa veterum esse Pasargadarum, aedificium vero illud singularis structurae, Cyri sepulcrum *m*). Non idem mihi persuasum habeo. Res est disquisitione dignissima, hinc venia mihi detur, spero, rationes meas paulo copiosius exponenti.

3. *Num rudera occupent situm veterum Pasargadarum?*

Variae sunt de Pasargadarum situ sententiae. Alii *n*) ad Schirasum urbem, quae distat a Persepoli versus meridiem milliaria septem *o*), Pasargadas sitas fuisse opinantur; alii *p*), nominis similitudine, ut videtur, fulciti, ad Fasam urbem, quae undeviginti parasangas a Persepoli inter orientem et meridiem spectat, earum situm invenisse sibi persuadent. Utraque haec sententia iisdem refellitur argumentis, quae obstant, quominus verum Pasargadarum situm Grotefendum constituisse putem. Obstant Grotefendi rationi causae hae:

1) Rudera vici Murghâb (undecim milliaria septentrionem versus a Persepoli) spatio longiori a Persepoli distant, quam quo ab ea affuisse videntur Pasargadae. Rem claram faciet, spero, *capitis huius excursus I*, quo de Pasargadis collecta habes, quae hic paulo longius me a scopo deducerent.

2) Vicus Murghâb alia prorsus regione a Persepoli distat, quam qua Pasargadae fuerint necesse est. Sitas eas

l) Cf. Malcolmii liber (MALCOLM'S *hist. of Pers.* II. p. 524.) sepulcra duo Muhamedanica exhibens.

m) HEEREN'S *Ideen* I. 1. p. 642.

n) VOSSIUS *ad Melam* III. 8.

o) NIEBUHR. II. p. 122.

p) Mannert. V. p. 529. RENNELL'S *geographical system of Herodotus* p. 286. VINCENT'S *anc. commerce* I. p. 414. KINNEIR. p. 75.

eas fuisse a Persepoli versus orientem *q*), clare progredi videtur ex itinere Alexandri, qui in Indiam tendens primum Persepolin, deinde Pasargadas venit; India vero redux primum Pasargadas, deinde Persepolin assecutus est. Si vero, quo vult Grotefendus, sitae fuissent Pasargadae, iure mireris Alexandrum exercitum suum tot tantisque malis laborantem, fame et situ confectum, per undecim milliariorum Germanicorum ambages illuc ducentem; quum plus duorum dierum itineribus prius Persepolin assequi potuisset, omnibus rebus abundantem.

3) Sitae fuerunt Pasargadae ad fluvium hodiernum Bendemir, cui Persepolis quoque adsita fuit. Verba Plinii *r*) "*Inde* (a Laodicea sc.) *s*) *ad orientem Magi obtinent Passagardas castellum, in quo Cyri sepulcrum est*" quibus utuntur ad situm Pasargadarum constituendum, vereor an aliquo usu sint. Quum a Laodicea situm constituat Plinius, Laodicea vero ubi sita fuerit neutiquam accurate innotuerit: per se patet, multo minus per Plinii locum Pasargadarum situm effici posse. Solinus *t*) locum illum ita explicat: *Ipsa autem Media ab occasu transversa, utraque Parthiae regna amplectitur: a septentrione Armenia circumdatur: ab ortu Caspios videt: a meridie Persidem. Deinde tractus hic procedit usque ad castellum, quod Magi obtinent, Passargada nomine. Hic Cyri sepulcrum.* Sed quis tractus? utrum Persidis, an Mediae? quam in partem, ad orientem an ad occidentem? Haec obscure et inepte explicata *u*). Magis proderit, opinor, locus Strabonis *v*) "ἔστι δὲ καὶ Κῦρος

q) Directa via ad orientem vix sitae esse potuerunt Pasargadae; nam ex singulis peregrinatorum notitiis patet hoc: ad septentrionem et ex aliqua parte ad orientem planitiei Merdestanae obiectos esse montes; inter orientem tamen et meridiem, qua fluvius Bendemir regionem secat, ulterius patere campum. Licet igitur paululum ad meridiem verserint Pasargadae, in universum tamen Persepoli ad orientem sitae dici possunt. — Peregrinatorum nullum montium tractum accurate descripsisse, est quod iure mireris.

r) VI. 29.

s) Errat Mannertus (V. p. 529.), qui in hoc Plinii loco *Persepolin* supplet, quum tamen *Laodicea* proxime praecedat.

t) *Polyhist.* c. 55.

u) SALMASII *exercitationes Plinian.* II. p. 1199.

v) p. 1060.

Κῦρος ποταμὸς, διὰ τῆς κοίλης καλουμένης Περσίδος ῥέων περὶ Πασαργάδας, οὗ μετέλαβε τὸ ὄνομα ὁ βασιλεὺς ἀντὶ Ἀγραδάτου μετωνομασθεὶς Κύρος. Πρὸς αὐτῇ δὲ Περσεπόλει, τὴν Ἀράξην διέβη (Ἀλέξανδρος). Primo intuitu verba refragari videntur nostrae sententiae; quid enim? num diversis fluviis adiectae erant Pasargadae et Persepolis? Videamus: *Cyrus* fluvius Strabonis haud dubie idem est, qui audit Dionysio Periegetae *w*) Κόρος, Ptolemaeo *x*) Κορίος vel Καρίος, Melae *y*) *Coros*, Avieno *z*) *Coros* et *Cyrus*. Sub nomine *Kar* vel *Kur* innotuit Arabibus, qui eum in lacum *Bakhtegan* se exonerantem faciunt *a*). Omnium consensu veterum *Araxes* est hodiernus fluvius *Bendemir*, qui vero influit lacum *Baktegan* *b*). Quum vero unus tantum fluvius in lacum illum se exoneret, sequitur; fluvium *Bendemir* Arabibus *Cur* dictum fuisse, eundemque diversis nominibus apud veteres, modo *Cyrum* modo *Araxem* audivisse. Favet huic sententiae, quam Vincentus *c*) quoque amplexus est, primum hoc, quod non raro Persiae fluvii diversis nominibus appellantur; deinde quod Cyrus rex plures fluvios suo nomine appellavit; porro, nomen Araxes fluviorum appellativum fuisse videtur *d*); secare denique dicitur Cyrus *cavam Persidem*, quae quidem appellatio optime quadrat cum campo Merdestano, undique montibus clauso, quem iam foecundat fluvius Bendemir. Quae quum ita sint, haud iniuria, credo, statuas erasse Strabonem *e*), et uni eidemque fluvio

w) v. 1073.

x) VI. 8.

y) III. 8.

z) v. 1274. Librorum Avieni mss. alii habent Coros, alii Cyrus.

a) EBN HAUCAL p. 98. One of the lakes is called Bakhtegan, into which falls the river Kar, and it reaches to the borders of Kirman. This lake is in the Kourch of Istakhar. — AL EDRISI p. 124. Astachar est ad flumen Cqeruab (b. e. fluvius Ker vel Kur).

b) KINNEIR. p. 59.

c) *Ancient commerce* I. p. 412.

d) SALMASIUS, *exercitatt. Plin.* II. p. 1202.

e) Erraverit Strabo necesse est, nisi fortasse Persae ipsi in hoc fluvio ita discreverunt, ut eam eius partem, cui adsita erat Persepolis, genuino suo nomine Araxem appellarent, illam vero fluvii partem, cui Pasargadae adiecerat Cyrus rex, eius ipsius nomine appellarent. Locum Strabonis praeterea suspectum habeo; sinistre saltem expressa est sententia: nam, ut verba nunc sunt, significant, Cyrum regem a fluvio nomen traxisse, quum tamen contrarium multo verosimilius sit. Cyrus enim rex haud dubie vocatus est a Sole, Persis *Kohr* dicto.

vio (hodierno Bendemir) adiacuisse Persepolin et Pasargadas, ita quidem, ut hae ad orientem spectaverint, illa vero occidentem versus sita fuerit. Fertur adeo ille Bendemir ea regione, ut qui a Persepoli in Indiam tendat, aliquod itineris fluvii ripas legere debeat.

4. *Num aedicula a Moriero inventa respondeat Cyri sepulcro?*

Si vera sunt quae supra disputavimus, iam superflua videri possit nostra haec altera argumentatio; lubrica tamen quum plerumque sit de antiquarum urbium situ disquisitio, videbimus, num aediculae apud Morierum exhibitae structura conveniat cum sepulcro Cyri apud veteres descripto. Cui quaestioni, ut ea, qua fas est, perspicuitate respondeam, necesse est, ut ex narrationibus veterum descriptionem Cyri monumenti contexam. Quae tamen, quum hic paulo longius nos a scopo deduceret, continebitur *excursu huius capitis II.* Hoc loco comparationem instituamus.

Sepulcrum Cyri apud Strabonem dicitur *turris haud magna* (πύργος οὐ μέγας), quod nomen, licet non prorsus abhorreat a monumento quale nostrum est, paulo tamen insolentiori usu ad illud referendum esset. Audit illa turris ex auctoritate Onesicriti *decem tabulata habens* (δεκάστεγος), quod aeque ac illud "*duo tabulata habens*" (δίστεγον) Aristi Salaminii plane non convenit cum nostra effigie. Quamquam, comparatione instituta cum nostro monumento, non satis clarum est, quid intellexerit Strabo sub voce δεκάστεγος, utrum decem tabulata, an fortasse, quod tamen vix fieri posset, singula strata lapidea (die einzelnen Steinschichten) quibus ut fundamento superstructa fuit parva aedicula: res tamen eadem est, neutrum enim quadrat; strata enim habet septem, vel si addas, quae sunt aediculae ipsius, undecim seu duodedecim. Si vero δίστεγον accipis monumentum, alterum tabulatum foret parva illa aedicula, alterum vero, basis lapidea, quae quidem mihi nunquam pro στέγῃ valebit. Addit porro Arrhianus, sepulcrum Cyri a superiori parte conclave referre contectum (οἴκημα ἐστεγασμένον). Vox οἴκημα frequentius haud dubie usurpatur de habitaculo vel conclave, quam de toto aliquo aedificio; si vero Strabonis descriptionem ad Morieri monumentum transferas, accipias necesse est vocem οἴκημα de tota aedicula stratis lapideis superstructa. Ἐστεγασμένος porro a στέγω vel στεγάζω de-

 rivan-

rivandum, ex prima saltem voeis significatione denotat rem aliquam alia re opertam, occultam, tectam *f*). Si igitur de domo vel conclave usurpatur, significat: contectum, tegmine instructum, (mit einer Decke versehen); notionem tecti, qualem nos novimus, vel rotundae vel triangularis formae, ut summa antiquitas ignorabat, ita et vox ipsa non involvit. — Nulla praeterea inscriptione monumentum Morieri insignitum est ipsi coaeva, ne indicium quidem exhibet illarum inscriptionum, quibus conspicuum erat Cyri sepulcrum; exstant tamen alia eiusdem fere aetatis monumenta, quorum inscriptiones non exesit tot seculorum decursus. Si inscriptiones monumento Morieri affuissent, aediculae ipsi haud dubie incisae fuissent, quae quum salva adhuc sit, inscriptionum saltem indicia superessent; tabula rasa saltem spectandam sese praeberet. Sed tantum abest, ut eius indicium adsit, ut adeo in toto monumento vix commodus locus esse videatur inscriptionum.

Aedicula a Moriero inventa aperta prae se fert indicia recentioris aevi. Exstructa est ex singulis lapidibus, quorum plurimi non eius magnitudinis sunt, qua rudera Persepolitana conspiciendas praebent moles. Facilius igitur dirui potuit hoc monumentum. Ast, dicas fortasse, fibulis ferreis coniuncti sunt singuli lapides, teste Moriero. Imo hoc ipsum, quod fibulae ferreae adhuc adsunt, argumentum est, quo maxime innitor, non tantae esse aetatis hoc aedificium, ac Grotefendus contendit. Persepolitana enim pari modo fibulis ferreis erant constricta: ferrum omne iam dudum absumsit tam longi temporis invidia; saxa vero, ob solam molem immensam, inmota adhuc suo loco sita sunt. Totius denique aediculae nostrae structura remotissimam illam aetatem haud indicat. Tale enim tectum triangularis formae in Achaemenidarum monumentis nusquam occurrit. Rudera Persepolitana superiorem vel fenestrarum vel portarum partem planam semper exhibent, nusquam vel circuli vel trianguli forma obvia est. Ratio ipsa docet et antiquitatis monumenta probant, tectum planum antiquissimum esse et artis initia indicare, perfectiorem vero excultioremque aedificandi rationem alterum illud tecti genus prodere.

Quae

f) Xenoph. *Oecon.* XIX. 13. — *de re equestri.* XII. 3.

Quae quum ita sint, quumque nec Cyri apud veteres descripti monumenti ea fuisse videatur conditio, quae tot seculorum iniuriam evitaret, (turris quippe erat, non aliis aedificiis arcte coniuncta); ut lucus, qui sacrum illud obumbrabat, totus evanuit, ut rivi per lucum errantes prorsus disparuerunt, utque tota regio, foecunda quondam omniumque rerum dives, iam desertum refert arenosum: ita et ipsum illud clarissimum antiquitatis monumentum interiisse videtur.

5. *Monumentorum aetas et usus.*

Quod primum ad ea rudera attinet, inter quae inscriptiones illae cuneiformes inventae sunt; magis ea indicantur quam describuntur a Moriero, ideoque insolentis foret, de eorum usu et consilio quid certi statuere velle. Cui vero aetati sint tribuenda, certa te docent indicia. Ex inscriptionibus cuneiformibus iure colligas, Achaemenidarum ea esse opera. Nec in hoc tantum nobis requiescendum est; Grotefendus enim nos edocuit, vertendam esse inscriptionem alteram hunc in modum. Dominus Cyrus rex orbis terrarum rector g). Cyri igitur vestigia in his ruderibus obvia sunt. Quae vero Cyri urbs hic sita fuerit, quodve castellum, quodve aliud monumentum, vel a Cyro ipso structum vel in eius memoriam conditum, aliis efficiendum relinquo. Nullius ego monumenti apud veteres mentionem inveni, cui hic situs conveniat.

De aedicula vero illa singularis structurae si quaeris, velim ut tam certe mihi persuadere possim, cui usui inservierit, cuique aetati tribuenda sit, quam illud certo mihi constare videtur, Cyri sepulcrum non esse. Ruderum hac regione dispersorum ambitus, teste Moriero, permagnus est; quae inveniuntur, non omnia eiusdem aetatis sunt; Muhamedanorum adeo tempori tribuenda quaedam. Ex inscriptione illa cuneiformi nihil sequitur ad aetatem nostrae aediculae constituendam: primum enim aedicula spatio aliquo a reliquis ruderibus, quae inscriptionem illam exhibent, distat; deinde architecturae indoles, ut supra vidimus, multum differt ab Achaemenidarum operibus. — Serioris certe est aetatis. Nec tamen aediculae origo Muhamedanorum tempora attingit, expressis enim verbis dicit Morierus, abhorrere aediculae structuram ab omnibus Muhamedanorum operibus, inprimis vero ab eius aevi sepulcris. — De

g) Heeren's *Ideen*, *Beilagen* I. 1. p. 643. Tab. III.

De usu aedificii haud dubito, sepulcrum tota eius structura indicat. Dubitationem quidem iniicere posset hoc, quod contendit Morierus, fumo offuscatam esse interiorem eius partem. Persuadere hoc tibi posset, ut pro pyraeo haberes; cum tamen huic usui vix responderit monumenti conditio, nullas quippe habet ex superiori parte aperturas, per quas fumus educeretur: iure vereris, ne in illo testimonio erraverit Morierus; ipse enim aediculam non introivit, qui vero intus fuere, fumi mentionem non faciunt *h*). Quid igitur multa? sepulcrum habeo e Sassanidarum tempore. Huic aevo convenit aediculae structura: forma semicircularis in aedificandi arte Sassanidis iam erat recepta *i*), ideoque et trianguli forma usi fuerint credibile est, quum haec illa prius in aedificando locum habuerit. Notissimum porro est Sassanidarum studium, iis ipsis regionibus, quae Achaemenidarum monumentis clarae erant, sua opera struendi.

AD CAP. V. EXCURSUS I.

P a s a r g a d a e.

Apud Herodotum, Ctesiam et Xenophontem nomen Pasargadarum urbis *a*) non occurrit. Herodotus tantum Pasargadarum gentis mentionem iniicit *b*), unde Achaemenidarum stirps oriunda, e qua reges Persici prodierunt. Suppetiae igitur petendae sunt ex Alexandri comitibus, exque iis, qui hos iterum sequuntur.

1. *Persepolis et Pasargadae sensu strieto diversi fuerunt loci, finitimi tamen ii et ad unam eandemque urbem pertinentes.*

Graecos discrimen posuisse inter Persepolin et Pasargadas, dubio caret. Alexander, autore Arrhiano *c*), potitus Persepoli, ἔλαβε δὲ

h) BARBARO, *Bizari rerum Pers. hist.* p. 474.

i) Cf. monumenta urbis Schapur, MORIER p. 86. — monumentum Tak-Kesra, aliaque.

a) Vario modo hoc nomen scriptum invenitur: Πασαργάδαι apud *Arrhianum* et *Strabonem*; Παρσαργάδαι apud *Appianum* (*bellum Mithr.* c. 66.); Πασαργάδα apud *Ptolemaeum*; Pasargada apud *Solinum*; Persagadum urbs apud *Curtium* (V. 6. 10), Persagadae apud eundem (X. 1. 22.) Πασσαργάδαι apud *Stephanum Byz.*

b) I. c. 125. *c*) III. 18.

δὲ καὶ τὰ ἐν Πασαργάδαις χρήματα; quum autem ex India redux, primum Pasargadas venisset, ibique Cyri sepulcrum restaurari iussisset, ἔνθεν δὲ ἐς τὰ βασίλεια ᾔει τῶν Περσῶν *d*). Apertius hoc discrimen constat apud Strabonem *e*): Alexander, incensa Persepoli, εἶτ' εἰς Πασαργάδας ἦκε. Ex his testimoniis patet hoc, diversum fuisse illum locum, cui nomen erat Pasargadarum, ab eo qui Persepolis audiebat Graecis; utroque vero loco urbem sitam fuisse ab altera diversam, nusquam dicitur. Quo ambitu fuerint Orientis urbes, doceat exemplum Ecbatanorum, quibus nihil cessisse Persepolin, verosimillimum saltem est. Potuit igitur regia illa, quam combussit Alexander, spatio satis magno abesse a sepulcro Cyri, licet ad unam eandemque urbem pertinuerit tam regia quam sepulcrum. Non longe vero dissitum fuisse alterum locum ab altero, inde colligit Heerenius *f*), quod apud veteres scriptores nomina Persepolis et Pasargadae ea ratione semper fere coniuncta occurrunt, ex qua utriusque loci propinquitas iure colligitur. Inprimis narratio apud Arrhianum huic sententiae fidem facit: Alexander primum Persepolin venit (Arrhianus quidem non expressis verbis hoc dicit, ut Strabo *g*) et Curtius *h*), certe autem sub verbis ἐς Πέρσας intelligi vult Persepolin), statim in sequentibus sermo est de Pasargadis, quae verba iterum excipit narratio de Persepolitana regia incensa *i*). An non iure inde colligas, Alexandrum Persepoli Pasargadas venisse, indeque iterum illuc rediisse? Nonne ex ista narratione ea utriusque loci propinquitas apparere videtur, ut sine magno temporis impendio ab uno ad alterum transire potueris? — Ex Alexandri itinere, ut narratur a comitibus expeditionis, plura adeo colligenda videntur; Nempe: Alexander postquam incenderat regiam Persepolitanam, pervenit deinde Pasargadas; non addit scriptor: quae fuit *urbs antiqua*, sed: καὶ τοῦτο δ' ἦν βασίλειον αρχαῖον *k*). Ex India vero redux, potitus Pasargadis, Persepolin proficiscitur; sed vide qua ratione hoc narretur: ἔνθεν ἐς τὰ βασίλεια ᾔει τῶν Περσῶν *l*). Quae verba perobscure forent dicta, si regia haec non ad eandem urbem, qua iam commorabatur Alexander, pertinuit; regiae

d) VI. 30.
e) p. 1061.
f) Idem I. 1. p. 269.
g) p. 1061.
h) V. 6.
i) Arrhianus III. 18.
k) Strabo p. 1061.
l) Arrhianus VI. 30.

regiae plures fuerunt Persiae. Adhibetur vero haec loquendi ratio, si quid video, quum de duobus locis sermo est ad unam eandemque urbem pertinentibus.

2. Pasargadarum primordia et incrementa sub Cyro.

Ut plurimae veteres Orientis urbes ex castris stativis ortae sunt *m*), ita et Pasargadae hanc originem habuere. Praeter vocem ipsam, quae significat, autore Stephano Byzantino *n*), Περσῶν στρατόπεδον *o*), fidem faciunt huic rei scriptorum testimonia. Hoc ipso loco pugna illa est commissa, qua Astyages Medorum rex devictus est, et Asiae imperium ad Persas pervenit *p*). Secundus hic pugnae exitus effecit, ut castra hic locata inmota suo loco remanerent, et magis magisque deinde munirentur, ita ut postea arcis adeo speciem induerent. Hinc *castelli* nomine appellantur Pasargadae apud Plinium *q*) et Solinum *r*). Cum Cyrus ipse primis temporibus hoc loco commoraretur, facile et illa intelligitur apud Strabonem Pasargadarum appellatio: βασίλειον ἀρχαῖον *s*). Regia illa et arx prima fuisse videntur Pasargadarum urbis initia. Fuit enim antiquissimarum Orientis urbium condendarum ratio haec, ut e castris stativis ea praecipue pars muniretur, quam rex ipse occupabat. Hinc plerumque regiae primum ortae castello munitae. Quod vero rex aliqua regione commorabatur, ea causa erat satis valida ad alliciendos alios accolas. In hac urbe accedit, quod Cyrus ipse operam dabat, gentem suam nomadicam ad fixas sedes redigendi. Sive igitur castra tantum amplificaverit, sive in castelli et regiae vicinio novam plane urbem struxerit; castra stativa iam speciem induerunt urbis, cui tamen a primis huius regionis incolendae initiis nomen remansit. Multae contulerunt causae ad claram efficiendam hanc Cyri urbem. Primum enim Pasargadae μνημεῖον monumentum erant victoriae de Astyage hoc loco reportatae, et conditi Persarum imperii. Hac

m) HEEREN's *Ideen* I. 1. p. 266. Id. I. 2. p. 171.

n) s. v. Πασσαργάδαι. Laudat Stephanus *Diosimum* qui citat *Anaximenen*.

o) Confirmat hanc significationem quodammodo vocis etymon a Tychsenio prolatum, HEEREN's *Ideen* I. 1. *Beylagen* p. 628.

p) STRABO p. 1063. STEPHAN. BYZ. l. c.

q) VI. 29. *r*) *Polyhist.* c. 55.

s) p. 1061.

Hac porro regione ad fixas sedes et meliorem vivendi rationem transierant Persae. Religio deinde Magica in Persia primum Pasargadis vigere incepit *u*). Magis inclaruit urbs post Cyrum. Ipse enim ille fundator Persarum imperii se ibi sepeliri iussit. Iam huc venerunt reges initio sui imperii, ut induerentur veste Cyri, ut immolarent Diis, utque initiarentur sacris regiis *v*). Fanum ibi fuisse, testis est Plutarchus, qui tamen more Graeco false Minervae id habet *x*). Fuerunt igitur Pasargadae prima melioris culturae sedes, primus quo Magorum religio exercebatur locus. Hinc illud quoque explicatur, qui fuerint Pasargadarum incolae. Magi scilicet si non totam urbem, maximam tamen eius partem incoluisse videntur. Fuerunt vero hi sensu arctiori sacerdotes, latiori omnes homines primi ordinis, qui culturae gradu conspicui erant *y*). Sacerdotum permagna copia desiderabatur ad sacra ista, quae ad Cyri sepulcrum fiebant, praestanda; sapientibus vero vel iis omnino, qui cultiores essent e Persis, prae ceteris hanc meliorem vivendi rationem placuisse, eosque igitur primos fuisse, qui vitam suam nomadicam reliquerint, consentaneum est.

3. *Pasargadae a Dario rege amplificatae Persepolis (sensu stricto) Graecis dictae.*

Nova Pasargadae incrementa ceperunt, si quid video, sub Dario Hystaspis. Colligo hoc inprimis ex loco Plinii *z*), cuius verba intricatissima sunt haec: *Praeterea habet* (Persis sc.) *in extremis finibus Laodiceam, ab Antiocho conditam. Inde ad orientem Magi obtinent Passagardas castellum, in quo Cyri sepulcrum est; et horum Ecbatana oppi-*

u) Xenoph. *Cyrop.* VIII. c. 3 et 7. — Quam primum urbs structa est, sacra publica necessario requiruntur, religio enim vinculum est, quod populum coercet et continet; sacris igitur instituendis et solenne celebrandis curam habuit Cyrus.

v) Plutarchus *vita Artaxerxis* c. 3. Ctesias *Pers.* c. 19. *Herodotus Wesselingii.* p. 816.

x) Plutarchus l. c.

y) Zend-Avesta *von Kleuker, Anhang* II. 3. p. 39 et p. 42.

z) VI. 29.

oppidum translatum ab Dario rege ad montes. Quae Ecbatana? Num Mediae? Vix fieri potest, quum nec istius Medorum urbis mentio esse possit in descriptione Persidis, nec Ecbatana Medica a Dario rege ad montes transferri potuerint, longe quippe ante Darium amplissima fuerunt, septem muris cincta. De Persidis igitur quadam urbe cogitaverit Plinius necesse est. Cum vero nec apud ullum, excepto Plinio, scriptorem de Ecbatanis Persidis constet, nec praeter Pasargadas, antiquissimis illis temporibus Magorum urbs in Perside fuisse videatur, intelligit autor, ni fallor, sub hac voce ipsam illam a Cyro conditam urbem Magis praecipue habitatam. Nomen Ecbatana, ut aliarum Orientis urbium multa, appellativum habeo. Confirmat hanc sententiam quum illud, quod plures urbes hoc nomine appellabantur *a*), tum vocis etymon, ex quo apparet, pluribus urbibus bene convenire hanc vocem: composita enim est, teste Relando *b*), ex Persico اك *ak* dominus, magnus, et ابادان *abadan* locus cultus et incolis refertus. Potuit igitur haec vox ob significationem in urbem aliquam conferri, vulgo aliter vocatam. Quod vero Pasargadae ita appellatae sint, alia adhuc, puto, accedit causa. Ut populus incultus cultioris victor factus, devicti culturam induere solet, ita ab eius urbe capitali exempla sumit, quae intuetur, ad quaeque vitae rationem instituit. Omnem meliorem culturam a Medis ad Persas pervenisse, dubio caret. Ecbatana, urbs Medorum capitalis, cum summae potestatis tum religionis et culturae primaria fuerunt sedes. Inde igitur haud dubie cum ignis cultu magnum Magorum numerum in Persiam abire iussit Cyrus. Quo loco victores Persae exstiterunt, ibi et melioris culturae novaeque vitae rationis ineundae autor iis fuit. Castrorum locum sibi elegit, quo Magorum religionem, et culturam, qualis Ecbatanis erat transferret. Sacra ibi instituta ad modum eorum, quae Ecbatanis celebrabantur; in ipsa nova urbe condenda exemplar fortasse petitum ab Medorum urbe capitali: altera quasi in Perside exorta sunt Ecbatana; nomen ipsum in novam urbem transiit. Ecbatana vocata urbs, quae vulgo: castrum Persarum, Pasargadae appellabatur. — Magorum altera pars vetus illud castellum occupaverat, quo Cyri sepulcrum erat; altera vero urbem ipsam inhabitabat:

a) Fuit alia huius nominis urbs Mediae, alia Syriae.

b) *Dissertatio VIII. de vet. ling. Pers.* in: RELANDI *diss. misc.* P. II. p. 107.

tabat: illi suo loco remanserunt, hos vero translocavit Darius, pergit enim Plinius: *et horum Ecbatana oppidum translatum a Dario rege ad montes.* Iterum perobscure prolatum hoc! qui enim sunt isti montes? — Non dubito quin monumentorum Tschil-Minar origo ad Darium referenda sit; sepulcrum Darii monti Rachmed incisum, palatii inscriptiones, quae Darii et Xerxis nomina exhibent, rem, puto, extra dubitationem ponunt. Eiusdem aetatis fuit quoque haud dubie urbs circumsita, quae simul cum palatio radices montis Rachmed occupavit. Hunc, ni fallor, montem intellexit Plinius, urbem vero indicat eandem, ad quam pertinuit quondam palatium, cuius rudera etiamnunc spectanda sese praebent. Indicare igitur mihi videtur Plinius Pasargadarum amplificationem a Dario rege factam, cui nomen Persepoleos (arctiori sensu) a Graecis tribuebatur. Mirum in modum conspirat hoc, quod sepulcra sua hoc loco habebat Darius. Sepulcra vero regia requirebant Magorum curam et custodiam; necesse igitur erat, ut Magi eorumque sacra huc transferrentur. Ipse vero Darius, qui ita favebat Magis, ut sub eius et Xerxis imperio maxime floreret et per totam Persiam dispergeretur eorum religio *c*), non modo ipsius sepulcrum, ut Cyrus quondam, a Magis custodiri, sed sedem quoque eorum primariam in sepulcri sui vicinitate esse voluit.

Sic igitur temporis successu ad maximam amplitudinem accreverunt Pasargadae, quo nomine, ut acute vidit Heerenius *d*), Persis appellabatur totus ille monumentorum amplexus, qui tam palatium illud a Dario structum, quam sepulcrum Cyri continebat. Quo tamen tempore Graecis innotuit haec regio, ille saltem locus, quo Cyri erat sepulcrum, ni urbis speciem prorsus iam exuerat *e*), amplitudine tamen et celebritate multum cessisse videtur ei urbis parti,

c) Zend-Avesta *von Kleuker*, *Anhang* I. 2. p. 261.

d) Heeren's *Ideen* I. 1. p. 268.

e) Ita saltem explicatur, qui fiat, ut vix apud unum alterumve scriptorem, eumque haud optimae fidei Pasargadae *urbs* vocentur, sed modo regia modo castellum. Fuit igitur fortasse tunc temporis regio ista tantum ob Cyri sepulcrum et sacra ibi instituta tam pietate culta quam religione sacrosancta, licet non urbe splendida superbiret.

parti, quae per Darium Hystaspis Pasargadis accessit, ubi iam palatii Tschil-Minar rudera spectantur. Hinc factum, ut eam partem proprie appellaverint Graeci "Persarum urbem, Persepolin." Quaeritur iam de nomine *Persepolis*. Primus, quod sciam, Longuerue *f*) sententiam elocutus est, unam eandemque esse urbem, Persepolin et Pasargadas. Accuratius rem constituit Heerenius *g*) contendens, vocem *Persepolis* versionem esse *Pasargadarum* Graecam. Etymologia huic sententiae fidem facit *h*). Duplici sensu Graeci voce *Persepolis* utuntur: latiori significatione de toto illo monumentorum amplexu, qui Persis *Pasargadae* audiebat, vocabulum accipiunt; arctiori vero et proprio sensu Persepolin de illo loco intelligunt, quo palatium illud a Dario conditum situm erat. Voce *Pasargadae* eum semper locum designant, qui vocis significationi respondebat, quo scilicet castrum stativum quondam situm fuerat, Graecorum tempore modo Cyri sepulcro clarum *i*). — At, reponis mihi, Persepoleos adeo auctor habetur Cyrus *k*). Verum hoc, latiori vocis sensu, quo Pasargadis respondet. Persepolis sensu stricto Darium haud dubie auctorem habet. Iam et hoc explicatur, qui palatium Persepolitanum tam perfectam artem prae se ferre possit, Pasargadarum autem (arctiori sensu) ne indicia quidem superesse videantur. Nimirum antiquiores fuerunt hae, eoque tempore conditae, quo vitam Nomadicam nuper admodum reliquerant Persae, ideoque parum docti erant permagna talia saxa marmorea, qualia Persepolis exhibet, tractare. Structae igitur Pasargadae videntur materia tractatu faciliori. Regia vero Persepolitana condita est, quum iam peritiores essent architecturae, aliarumque urbium exstruendarum pericula fecissent.

AD

f) LONGUERUANA, *ou recueil de pensées, de discours et de conversations de feu Mr.* LOUIS DU FOUR DE LONGUERUE. à Berlin 1754. Part. II. p. 121.

g) HEEREN'S *Ideen* I. 1. p. 265.

h) TYCHSEN, *Beylagen zu Heeren's Ideen* I. 1. p. 628.

i) l. c. p. 269.

k) DIODORUS SICULUS ed. Wessel. T. II. p. 215. AELIANUS H. A. I. c. 59.

AD CAP. V. EXCURSUS II.

Descriptio sepulcri Cyri ex veterum scriptorum narrationibus contexta *a*).

Arrhianus ex Aristobulo *b*) refert, esse Pasargadis in horto regio Cyri sepulcrum, et circum id lucum omnis generis arboribus consitum, aquis irriguum. Sepulcrum ipsum ab ima parte saxo quadrato structum quadrangularem formam prae se ferre. In editiore parte *conclave esse lapideum*, *contectum*, portula instructum perangusta. His adiungamus ea, quae apud Strabonem sunt: primum ex eodem Aristobulo *c*) nominat monumentum Cyri *turrim haud magnam*, ex inferiori parte solidam, superiori tabulatum habentem et sacellum. Deinde ex Onesicrito *d*) affert, turrim habere *decem tabulata* et in supremo Cyrum iacere. Aristus Salaminius *e*) denique illis multo iunior inducitur a Strabone narrans, *turrim magnam fuisse et duo tabulata* habuisse. In aedicula, pergit Aristobulus

a) Exstat commentatio de Cyri sepulcro in libro: KABENERI *amoenitates historico-philologicae. Lipsi.* 1695. p. 158. vix tamen ea notatu digna.

b) ARRHIANUS VI. 29. Εἶναι γὰρ (dicit Aristobulus) ἐν Πασαργάδαις ἐν τῷ παραδείσῳ τῷ βασιλικῷ Κύρου ἐκεινοῦ τάφον. καὶ περὶ αὐτὸν ἄλσος ἐμπεφυτεῦσθαι δένδρων παντοίων, καὶ ὕδατι εἶναι κατάρρυτον, καὶ πόαν βαθεῖαν πεφυκέναι ἐν τῷ λειμῶνι· καὶ αὐτὸν δὲ τὸν τάφον τὰ κάτω λίθῳ τετραπέδῳ ἐς τετράγωνον σχῆμα πεποιῆσθαι· ἄνωθεν δὲ οἴκημα ἐπεῖναι λίθινον ἐσεγασμένον, θυρίδα ἔχον φέρουσαν ἐσω στενήν, ὡς μόλις ἂν ἑνὶ ἀνδρὶ εὐ μεγάλω, πολλὰ κακοπαθέντι παρελθεῖν.

c) STRABO l. c. XV. p. 1061. Ἐνταῦθα (Pasargadis sc.) δὲ καὶ τὸν Κύρε τάφον εἶδεν (Alexander) ἐν παραδείσῳ, πύργον οὐ μέγαν, τῷ δάσει τῶν δένδρων ἐνατοκεκρυμμένον, κάτω μὲν στερεὸν, ἄνω δὲ στέγην ἔχοντα καὶ σηκόν, στενὴν τελέως ἔχοντα τὴν εἴσοδον.

d) STRABO l. XV. p. 1062. Ὀνησίκριτος δὲ τὸν μὲν πύργον δεκάστεγον εἴρηκε· καὶ ἐν μὲν τῇ ἀνωτάτω στέγῃ κεῖσθαι τὸν Κῦρον.

e) STRABO l. c. Ἄριστος δ' ὁ Σαλαμίνιος πολὺ μὲν ἐστι νεώτερος τούτων· λέγει δὲ δίστεγον τὸν πύργον καὶ μέγαν, ἐν δὲ τῇ Περσῶν διαδοχῇ ἱδρύσθαι. Verba ἐν τῇ Περσῶν διαδοχῇ interpretatur Brissonius (p. 327.): *translato a Medis ad Persas imperio.*

bulus *f*), esse *arcam auream* (πύελον χρυσῆν) *g*) positam, in qua Cyri corpus conditum servaretur; lecticam arcae adstare, cuius pedes ex solido auro fabrefacti sint; hanc tapetis Babylonicis stratam, stragulis purpureis substratis: lecticae candyn regiam aliasque vestes Babylonii operis impositas esse. Femoralia etiam Medica, vestes quoque hyacinthino colore tinctas ibi positas fuisse scribit, atque has quidem purpurei, alias varii coloris; torques quoque ac gladios et inaures, auro et gemmis ligatos; mensa praeterea ibi posita erat; in medio vero lecticae arca, corpus Cyri continens. Consentanea refert Strabo *h*); monumentum introisse se dicit Aristobulus iussu regis, atque sepulturam exornasse. Vidisse autem auream lecticam et mensam cum poculis, et auream arcam, vestem plurimam, et mundum gemmis ornatum. Contraria his prorsus refert Curtius *i*), attamen cum illis concilianda. "Forte enim," ut ille habet, "sepulcrum Cyri Alexander iussit aperiri, in quo erat conditum eius corpus, cui dare volebat inferias. Auro argentoque repletum esse crediderat, quippe ita fama Persae vulgaverant; sed praeter clypeum eius putrem, et arcus duos Scythicos, et acinacem, nihil reperit. Caeterum corona aurea imposita amiculo, cui adsue-

f) ARRHIANUS VI. 29. Ἐν δὲ τῷ οἰκήματι πύελον χρυσῆν κεῖσθαι, ἵνα τὸ σῶμα τοῦ Κύρου ἐτέθαπτο, καὶ κλίνην παρὰ τῇ πυέλῳ· πόδας δὲ εἶναι τῇ κλίνῃ χρυσοῦς σφυρηλάτους, καὶ τάπητα ἐπιβλήματα Βαβυλωνίων, καὶ καυκάκας πορφυρᾶς ὑποστρώννυσθαι· ἐπεῖναι δὲ καὶ κάνδυς καὶ ἄλλους Χιτῶνας τῆς Βαβυλωνίου ἐργασίας· καὶ ἀνακυρίδες Μηδικαὶ καὶ στολαὶ ὑακινθινοβαφεῖς λέγει ὅτι ἔκειντο· αἱ δὲ πορφύρας, αἱ δὲ ἄλλης καὶ ἄλλης χρόας· καὶ στρεπτοὶ, καὶ ἀκινάκαι, καὶ ἐνώτια χρυσοῦ τε καὶ λίθων κολλητά· καὶ τράπεζα ἔκειντο. Ἐν μέσῳ δὲ τῆς, κλίνης ἡ πύελος ἔκειτο, ἡ τὸ σῶμα τοῦ Κύρου ἔχουσα.

g) Πύελος proprie solium est, sed et alveum significat, in quem lavaturi descendebant. Festus s. v. *solium: alveus est in quo lavebantur*, πύελος *Graecis*. Sed praeterea vox haec vas denotavit lapideum vel ligneum, in quo mortuorum corpora ponebantur. Hoc solium non est. Suidas hinc πύελον interpretatur θήκην, Hesychius λάρνακα exponit. Clarum igitur est, errare interpretes Strabonis et Arrhiani, quorum ille alveolum, hic urnam vertit. Vertendum est vocabulum cum Salmasio (exercitt. Plin. II. p. 1203.) vel sarcophagum vel arca. Cf. et Brissonius p. 323.

h) STRABO l. XV. p. 1061. Παρελθεῖν εἴσω φησὶν Ἀριςόβουλος, κελεύσαντος τοῦ βασιλέως, καὶ κοσμῆσαι τὸν τάφον· ἰδεῖν δὲ κλίνην τε χρυσῆν, καὶ τράπεζαν σὺν ἐκπώμασι, καὶ πύελον χρυσῆν, καὶ ἐσθῆτα πολλὴν, κόσμον τε λιθοκόλλητον.

i) X. I.

adsueverat ipse; solium, in quo corpus iacebat, velavit; miratus tanti nominis regem, tantis praeditum opibus, haud preciosius sepultum esse, quam si fuisset e plebe. Proximus erat lateri spado, qui regem intuens, quid mirum, inquit, est, inania sepulcra esse regum, quum satraparum domus aurum inde egestum capere non possint? Quod ad me attinet, ipse hoc bustum antea non videram: sed ex Dario ita accepi, tria millia talentorum condita esse cum Cyro." Bis adiit Alexander Cyri sepulcrum. Primo quidem adventu Aristobulus id ingressus, ea omnia reperit, quorum Graeci autores mentionem faciunt. Cum vero India reducem ipsum Alexandrum libido cepisset inspiciendi sepulcrum, ea tantum reperit, quorum Curtius meminit. Fidem facit huic sententiae Arrhianus *k*). — Tumulis Persarum regum inscriptiones addi solebant. Sepulcro Cyri titulus Persicis literis inscriptus erat in hunc sensum: *ὦ ἄνθρωπε, ἐγὼ Κυρός εἰμι ὁ Καμβύσου ὁ τὴν ἀρχὴν Πέρσαις κατασησάμενος, καὶ τῆς Ασίας βασιλεύσας* (*βασιλεύς* ap. Strab.) *μη οὖν φθόνει μοι τοῦ μνήματος l*). Eandem inscriptionem exhibet Strabo *m*), qui praeterea ex Onesicrito addit, inscriptionem adesse Graecam Persicis characteribus exaratam: *ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος Βασιλεὺς βασιλήων*; aliamque Persicam in eandem sententiam. Quamquam parum credibile videtur, Graecam inscriptionem *Persicis literis* affuisse, mirum tamen quod idem testatur Aristus Salaminius *n*). Fortasse huic inscriptioni idem contigit, quod priori, teste Plutarcho *o*), cui versionem Graeca lingua addi curavit Alexander *p*).

Loca modo allata quam maxime memorabilia sunt, quippe ex quibus Persarum regum splendor, qui in sepulcris obtinebat, perspicitur. Sepulcrum Persarum imitatio est habitaculi, quo viventes utuntur; eo repositi vitam continuant, donec revocantur a morte, et

k) VI. 29.

l) Arrhianus l. c.

m) p. 1062.

n) Strabo l. c.

o) *vita Alexandri c.* 69.

p) Hoc enim sibi volunt, si quid video, verba: *τὴν δ' ἐπιγραφὴν ἀναγνοὺς, ἐκέλευσεν Ἑλληνικοῖς ὑποχαράξαι γράμμασιν.* Inscriptio apud Plutarchum sic se habet: *Ὦ ἄνθρωπε, ὅστις εἶ, καὶ πόθεν ἥκεις, (ὅτι μὲν γὰρ ἥξεις, οἶδα*, absurdi librarii glossa absurda.) *ἐγὼ Κῦρος εἰμι ὁ Πέρσαις κτησάμενος τὴν ἀρχὴν. μὴ οὖν τῆς ὀλίγης ταύτης γῆς φθονήσῃς, ἣ τοὐμὸν σῶμα περικαλύπτει.*

et nova vita incipit *q*). Instructum idcirco erat omnibus illis rebus, quibus, dum in vivis erant, utebantur Persae. Regis vero quum sit sepulcrum, splendorem et fastum omnia quae adsunt indicant. Praeter *arcam auream*, qua repositum erat corpus, instructum erat sepulcrum *lectica* (κλίνη), quam inprimis magnifaciunt Orientales *r*). *Tapeta* porro et *stragula Babylonica* ornabant conclave *s*). Adfuerunt quoque, quae ad *vestitum* pertinebant, *candys* scilicet *aliaeque vestes Babylonici operis; femoralia* (ἀναξυρίδες) quoque *Medica t*). Aderant porro quae ad *ornatum et mundum* spectabant, *torques* et *inaures*. Nec abfuerunt adeo *arma; gladium* enim et *arcus* ibi invenisse Alexandrum, testantur expeditionis scriptores. Aderat denique, ne omnino quid deesset, *mensa cum poculis u*). Praeter haec omnia, sepulcro secum habere solebant Persarum reges *thesaurum*. Hinc clarum est, qui factum sit, ut in vicinio sepulcrorum regum alia fuerint aedificia; nimirum thesaurus ille reliquaque sepulcri cimelia custodiam requirebant non paucorum hominum. Sepulcrum porro sacra sua habebat, ad quae peragenda necessarii erant Magi. Hinc habet Arrhianus, esse intra ambitum in ipso ad sepulcrum ascensu exiguam quandam aediculam, Magis exstructam, qui quidem sepulcrum custodiebant, iam inde a Cambyse Cyri filio custodiae munere a patribus in filios transmisso. Atque his quidem ovis in singulos dies ab rege dabatur, vinique et farinae certus modus: singulis etiam mensibus equus unus quem Cyro sacrificarent *v*).

CAPUT

q) ZEND-AVESTA *von Kleuker* I. p. 27. *Anhang* I. 1. p. 140.

r) Hinc explicanda metaphora, qua saepius pro *mori* utuntur poetae Orientales: *recumbere lectica mortis vel sepulcri*. HAMMER's *topographische Ansichten auf einer Reise in die Levante* p. 100.

s) Stragula inprimis Babylone perpulchra conficiebantur, cf. THEOPHRAST *hist. plant.* IV. 9. HEEREN's *Ideen* I. 2. p. 184.

t) Vestes Babylone confectae inprimis magni aestimabantur, dignaeque habebantur, quibus induerentur reges, cf. HEEREN l. c. *Femoralia* vel Braccae *Medica* dicuntur, quod a Medis ea, ut maxima reliqua vestitus pars, ad Persas pervenerunt, cf. STRABO XI. p. 797. BRISSONIUS p. 667. — Vestes, in Cyri sepulcro asservatae, fuerunt cum purpurei tum varii coloris; variam et versicolorem vestem inprimis Persis placuisse, veterum locis probat BRISSON. p. 552.

u) STRABO l. c. τράπεζα σὺν ἐκπώμασι.

v) ARRHIANUS VI. 29. εἶναι δὲ ἐντὸς τοῦ περιβόλου, πρὸς τῇ ἀναβάσει τῇ ἐπὶ τὸν τάφον φερούσῃ, οἴκημα σμικρὸν τοῖς μάγοις πεποιημένον, οἳ δὲ ἐφύλασσον

CAPUT VI.

Meschid-Mader-Suleiman, (ad urbem Schiras).

Unius diei iter meridiem versus a Persepoli, prope ad urbem Schiras, in colle ante radicem inminentis iugi, rudera inveniuntur, eodem, quo monumentum praecedens, nomine dicta; hinc factum, ut Chardinus haec cum illis confuderit *a*). Multos haec rudera nacta sunt descriptores, inter quos Herbertus *b*), Thevenotus *c*), Des Landesius *d*), Chardinus *e*), De Bruynius *f*), et inprimis Kaempferus *g*). Collis sive naturae opus sit, sive ruderum acervus, multa fovet vestigia aedificiorum et murorum, ita tamen collapsorum, ut ex iis nec ordo conclavium, nec universae structurae forma et ambitus cognosci possit. Conspicuum vero prae ceteris est in collis fastigio monumentum quadratum, cuius singulum latus quindecim pedes aequat *h*): limina eius constituunt lapides caesi marmorei et murorum proeminentium reliquiae, iisque insistentes portae tres superstites. Aedificium ita situm est, ut frontem exponat campo. Portae tres ex rubido marmore fabrefactae trium pene orgyiarum altitudine, ab exteriori parte planae sunt et politae, nullo sculpturae genere decorae; interior vero refert utrinque singulas figuras humanas, forma vulgari paulo maiores, capite et facie passim, non invidia tempo-

σον τὸν Κύρου τάφον, ὅτι ἀπὸ Καμβύσε τοῦ Κύρου, παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενοι τὴν φυλακήν. Καὶ τούτοις πρόβατόν τε ἐς ἡμέραν ἐδίδοτο ἐκ βασιλέως, καὶ ἀλεύρων τε καὶ οἴνου τεταγμένα, καὶ ἵππος κατὰ μῆνα ἐς θυσίαν τῷ Κύρῳ. Non Cyro ipsi immolabatur, sed eius Peruero, ut putat Heerenius, qui tamen dubitat, an non vel sic error subsit loco citato. *Kohr* enim et solem significat, cui vero equos sacrificare consuesse Persas, docet BRISSONIUS p. 339. HEEREN'S *Ideen* p. 260.

a) CHARDIN. VIII. p. 433.
b) p. 244.
c) II. p. 274.
d) p. 72.
e) VIII. p. 432.
f) IV. p. 424 et V. p. 149. (Tab. 149. ed. Amstelod.).
g) p. 354.
h) KAEMPFER p. 356. Differt paululum *De Bruyn.* l. c.

temporis, ſed Muhamedanorum furore vitiatis. Veſtis figuris eſt laxa et ad talos usque demiſſa. Reliqua quoque marmorea fragmenta veſtigia exhibent inciſorum ſatellitum, quorum manus haſta armat, caput capillo ornatum tiara tegit; reliquum corpus veſtis ornat praelonga manicis inſtructa laxioribus, aeque ac in anaglyphis campi Merdeſtani. In nonnullis aliis figurarum partibus explicandis a vero aberraſſe videtur Kaempferus. Monumenti effigiem ſtiterunt De Bruyn *i*) et Kaempfer *k*).

Quod famam Perſarum attinet, quae aedificium ſepulcro matri Salomonis inſerviiſſe tradit; res eſt ſatis nota, quam parum fidei huic nomini in monumentis Perſicis explicandis debeatur. Tabularum huius monumenti aeri inciſarum aspectus clare docet, architecturae rationem eandem eſſe ac Perſepoleos. Eiusdem generis ſunt quoque, ex teſtimonio De Bruynii et Kaempferi anaglypha in illo conſpicua. Quae quum ita ſint, non dubito, eſſe haec monumenta antiquiſſima Achaemenidarum opera.

CAPUT VII.

Kademgah.

Mille paſſus a priori monumento remotus, locus eſt qui nomen habet *Kademgah* (قدم گاه), quod vertit Kaempferus: *locus veſtigiorum;* De Bruyn: *bien trouvé ſans y ſonger.* Quid hoc ſibi velit, doctioribus explicandum relinquo. Invenitur ibi anaglyphum rupis ſuperficiei inciſum ſatis memorabile. Iidem fere hoc monumentum deſcripſerunt, qui praecedenti operam inpenderunt, Des Landeſius *a*), De Bruynius *b*), et accuratiſſimus Kaempferus *c*). Duae oculis obiiciuntur tabulae, una ab altera aliquot paſſuum ſpatio ſeiuncta. Prior duas exhibet figuras, quarum altera virum ſiſtit, ſtatura

i) p. 425.
a) p. 71.
c) p. 361.
k) p. 363.
b) IV. p. 425

tura corporis humana paulo maiorem, paludamento indutum ad talos usque demisso. Caput habet galeatum, caesariem barbamque brevem, collum torque ornatum unionibus decorato. Figuram alteram pro femina habet Kaempferus *d*), et multa de ea profert, quae ne ipsius phantasiae originem debeant, maxime vereor; ita revera hanc figuram esse, ac eam repraesentant tabulae aeneae *e*), vix tibi persuadebis. — Tabula altera duos exhibet viros statura colossica. Alterius caput tegit tiara in ingentem bullam expansa. Capillus ei est crispus et retro flexus, barba brevis; venter veste tegitur praelonga in femore constricta, per crura decore plicata et fluctuante. Alter statura minor, pari ratione ornatus, annulum dextra offert figurae priori. Uterque sinistram manubrio inponit gladii.

Quamquam figurae modo descriptae perquam deletae sunt temporis iniuria, indicia tamen supersunt satis multa, ex quibus colligas, cuinam tempori haec anaglypha sint annumeranda. Kaempferus dicit, a Persis Rustamo tribui, et similia ea esse illis, quae in campo Merdestano spectarentur *f*), facta tamen vel rudiori manu vel minori industria. — Bulla illa in capite expansa, et annulus, quem ex aliis monumentis novimus, aperte indicant, Sassanidarum temporibus haec monumenta esse tribuenda. Cuinam vero Sassanidarum regum eorum origo debeatur, et quod singulum factum repraesentent, vix effici poterit, quum inscriptionibus plane carere videantur.

CAPUT VIII.

Rudera urbis Fasa.

Triginta quinque parasangas inter orientem et meridiem ab urbe Schiras, undeviginti a Persepoli *a*), sita est urbs *Fasa*, quae aeque ac

d) p. 362.

e) Des Landes p. 60. De Bruyn p. 425. Kaempfer p. 363.

f) Intelligit haud dubie monumentum *Nackschi-Radjab*.

a) Morier p. 234.

ac tota regio usque ad urbem *Firuzabad*, (spatium viginti fere parasangarum) ruderibus abundat *b*). Monumenta veteris urbis Fasa admiratione esse digniora ipsis Persepolitanis, exceptis tantum columnis, certior factus est Morierus ab ipsius urbis incola quodam, qui praeterea praetendebat, magna ibi esse saxa marmorea inscriptionibus Persepolitanis insignita. — Valde dolendum est, nec Morierum ipsum, nec peregrinatorum alium attente illam urbem perscrutasse. Licet parum fidei debeatur iis, quae Persae de monumentis suis referre solent, ideoque multum adsit, ut istius hominis testimonio, ruderibus illis Persepolitanas adesse inscriptiones, firme possis inniti, memorabilis tamen illa regio non solum idcirco est, quod veteres Pasargadae ibi sitae dicuntur, sed ob ipsius urbis antiquam famam *c*). *Fasa* enim (ut Arabes eam appellant) *d*), Persis *Basa* dicta, a Bahmahno filio Isfendri *e*), regis e dynastia Kaianidarum sexti, condita perhibetur *f*). Antiquissimam esse urbem aeque ac amplissimam, castello vallo circumdato munitam, testatur filius Haucali *g*), quocum consentit Abulfeda *h*).

CAPUT IX.

Darabgerd.

Darabgerd nomen est cum agri (nomi) *a*), tum urbis. Urbs duodecim parasangas orientem versus distat ab urbe Fasa, quadraginta duo a Schiras; sita est ad fluvium Bendemir veterem Araxen, qui apud Darabgerd in lacum Baktegan se inmittit *b*). Condita

b) *The ruins at both end indeed in the line between them are great*, Morier l. c.

c) GOLIUS *ad Alfraganum* p. 114. KINNEIR. p. 75.

d) ABULFEDA, in: *Büschings Magazin* IV. p. 258.

e) HERBELOT, *bibliotb. orient.* l. v. Bahman.

f) KINNEIR. p. 75.

g) EBN HAUCAL. p. 104.

h) ABULFEDA. l. c.

a) EBN HAUCAL. p. 104.

b) KINNEIR. p. 75. MORIER. p. 231.

dita est, ex scriptorum orientalium testimonio *c*), a Dara, filio Bahmani, octavo rege e dynastia Kaianidarum. Al Moschtarek inter nobilissimas Persiae urbes eam censet; Al Azizicus ait, in praetura Darabgerd exstare fodinam Mumiae et fodinam argenti vivi *d*). Castello munitam fuisse et monumentis, autor est Ebn Haucal *e*). In media urbe, teste Abulfeda *f*), est mons saxeus tanquam cuppola (vel tentorium). — Dolendum nec Kinneirum nec Morierum in illa urbe ipsos affuisse, sed ex incolarum informatione sua pauca de ea hausisse. Nisi fallor, Graecis iam innotuit haec urbs. Inter alia memorantur a Strabone *g*) τὰ ἐν Γάβαις βασίλεια, in Perside interiori, ad fines Carmaniae sita. Optime haec quadrant in situm urbis Darabgerd, quae vox significare videtur urbem Darii, h. e. a Dario conditatam vel habitatam *h*).

CAPUT X.

Urbs Firuzabad.

Urbs *Firuzabad* (sub 28° 28′ latit. et 52° 55′ longit. sita, secundum Kinneiri mappam) viginti parasangas distat a Fasa, septendecim meridiem versus a Schiras. Rudera spectanda praebet, quae antiquum urbis splendorem satis testificantur *a*). Kinneiro et Moriero pauca illa debentur, quae nobis de iis innotuere. In lata planitie ad quatuor milliariorum longitudinem et duorum latitudinem se extendunt *b*). Prae ceteris admirationem movet columna lapidea, centum et quinquaginta pedum altitudine, viginta crassitie; attentione porro dignum est aedificium forma quadrata, architecturae indole diversum ab quovis alio monumento, in vicinia obvio; structum est lapidibus caesis fibulis ferreis conpactis. Haud procul inde

c) D'HERBELOT *biblioth. orient.* s. v. Darabgerd.
d) ABULFEDA in: *Büschings Magaz.* IV. p. 259.
e) EBN HAUCAL p. 94. *f*) l. c.
g) p. 1059. cf. PTOLEMAEUS.
h) ABULFEDA, in: *Büschings Magazin* IV. p. 259.
a) MORIER. p. 234. *b*) KINNEIR. p. 68.

inde ſpectatur templum ignis (pyraeum). — Duo milliaria Germanica ab hoc loco, prope ad eam viam, quae Schiraſum ducit, in ſuperficie rupis raſae exhibitam habes effigiem illam notiſſimam duorum equitum de annulo certantium *c*).

Quod rudera priori loco indicata attinet, nullum dubium eſt, quin reliquiae ſint urbis quondam celeberrimae *d*). Apud ſcriptores occidentales fruſtra hanc urbem quaeſivi; Abulfeda vero de ea habet: "*appellabatur primis temporibus Gur, deinde mutavit nomen cum Firuzabad. Eſt urbs celebris prope Schiras e*)." Filius Haucali urbis Firuzabad nullam mentionem iniicit; multis vero locis agit de urbe *Iaur* (Gur), quam eandem fuiſſe cum illa Firuzabad, iure colligitur ex diſtantia utrique loco tributa *f*). Urbem quondam celebrem fuiſſe teſtatur Abulfeda *g*), qui habet: "*Gúr eſt inter urbes capitales Perſiae; ſecundum filium Haucali, eſt urbs muro cincta luteo, et foſſa, et quatuor inſtructa portis, et aquis currentibus.*" Fontes ſalientes affuiſſe, item teſtatur filius Haucali *h*). Condita eſt urbs; teſte Kinneiro *i*), ab Artaxerxe I. (Ardeſchir Babegan), ſecundum Geographum Nubienſem *k*), a Cosroe Anuscervane (Chosru Nuſchirvan), qui regnavit anno p. Chr. n. 532. — Monnmenta ſupra deſcripta originem certe debent Saſſanidarum tempori, cui quoque tribuendum eſſe anaglyphum duo milliaria Germanica ab illo loco diſtans, dubio caret. Regio digna eſt, cui maior cura a peregrinatoribus inpendatur.

CAPUT XI.

Monumenta urbis Schapur.

Primam horum monumentorum notitiam debemus conciſae *Ioneſii* annotationi ad Vincenti notiſſimum librum *a*). Diligentiori exami-

c) KINNEIR. l. c.
d) MORIER l. c.
e) BÜSCHING'S *Magazin* IV. p. 257.
f) EBN HAUCAL p. 111.
g) BÜSCHING'S *Magazin* IV. p. 256.
h) p. 130.
i) p. 68.
k) AL EDRISI p. 242.
a) VINCENT'S *commerce and navigation of the Ancients*. T. I. p. 391.

examini ea subiecit *Morierus b)*, qui quamquam non ex omni parte nobis satisfecit, (obstabant enim ei temporis angustiae), nihilo secius tamen longe superavit *Kinneirum c)*. *Malcolmius d)* quoque de cognoscendis illis monumentis bene meruit tabulis nonnullis aeneis, quae tamen postponendae sunt iconibus Morieri; quum enim plura anaglypha iunctim sistent, singulae figurae minores sunt, quam ut omnes earum partes accurate exprimi potuerint. Descriptioni Morieri addita est dissertatio super illis monumentis, a viro in hisce rebus optime versato *Robert Harry Inglis* conscripta.

A. Descriptio.

Quatuor fere milliaria Germanica ab urbe Kazrun septentrionem versus, ad montium tractum, qui planitiei vastissimae orientem versus fines inponit, sita sunt monumenta urbis Schapur *e)*. Spatium obtinent circuitu milliarii unius et dimidii; in quo ambitu mons situs, quem arcem quondam occupasse, murorum, turrium, aliorumque architecturae operum multae reliquiae docent *f)*. Aggerum cumuli, aquaeductuum et subterranearum cryptarum indicia multa praeterea obviam habes *g)*. Prae ceteris conspicuum est aedificium, figura quadrata quinquaginta quinque pedum, ex lapidibus magnis et politis structum. Latus anterius solum adhuc integrum superest; superiori eius parti duae sphinges, ut putat Morierus, incumbunt; fenestra instructum est ex superiori parte rotunda. Hoc aedificium excipiunt fundamenti alterius rudera, ex quorum ambitu et situ colligit Morierus *h)*, utrumque invicem coniunctum, theatrum quondam effecisse. Omnia modo recensita, quum conditione parum integra inveniantur, ideoque a peregrinatoribus tantum indicentur, non diutius nos detinebunt. Accuratius innotuerunt anaglypha montis rupi incisa.

1. Prima tabula duos sistit equites, forma colossica. Equo ad dextram, magna ex parte mutilato, prostratus subiacet homo, Romano similis. Alia hominis figura eodem habitu, supplex, genu innixa

b) p. 86.
c) p. 65.
d) *History of Persia.* I. p. 254.
e) KINNEIR. p. 65.
f) MORIER. 86. 87.
g) MORIER. 91. 92.
h) p. 91.

innixa, ante pedes equi conſpicitur. Eques ad laevam non pari modo temporis iniuria exeſus eſt, (deſcriptione ſuperſedit Morierus). Figurarum veſtes vix genua tegunt. Menſurae rationem discas ex hominis figura equo proſtrata, ſedecim pedum longitudine *i*).

2. Anaglyphum ſecundum, ex omni parte ſumma arte perfectum, tribus conſtat partibus, quarum media prae ceteris admiratione digna, equitem exhibet veſtitu regem ſe prodentem. Caput eius ornat tiara globo inminente. Capilli larga cincinnorum unda retro effuſi, parva myſtax labia ſuperiora tegens, ori addunt ſuperbiae maieſtatisque ſpeciem. Veſtis multis plicis fluitans, infra talos adeo demiſſa, in media corporis parte zona conſtricta eſt. Ex latere dextro pharetra inmenſae magnitudinis dependet. Eques dextra ſua tenet manum hominis tunica et caſſide Romanorum more veſtiti. Alius eodem modo amictus, genu innixus, manus praetendit verſus equitem, ſupplicis ſpecie ac modo. Tertia hominis figura, Romano habitu, ſub equi pedibus proſtrata eſt. Poſt figuram ſupplicem duae aliae conſpiciuntur, quarum altera, quae quidem manum laevam praetendit, capitis ornatum gerit a fronte inclinatum; gladio armata eſt praelongo, quem pro cruce falſe habet Kinneirus; Aegyptio cultu et veſtitu Moriero ſimilis eſſe videtur. Figura altera, ſupplici ad dextram, inſtructa eſt capitis ornatu rotundo et elato. In ſuperiori anaglyphi parte, Gloriola advolans coram equite expandit vittas quasdam.

Secunda huius tabulae pars, effigiei modo deſcriptae ad dextram, in ſex iterum diviſa eſt ſectiones, quarum ſingula tres continet figuras, vultu et habitu diverſas. Supplices quum ſe gerant, populos devictos ſiſtere videntur Moriero.

Figurae regiae a tergo tertia eſt tabulae pars, quae duplicem exhibet equitum ſeriem, qui omnes regi ornatu cultuque ſimiles ſunt *k*).

Totius tabulae effigiem ſiſtit Malcolmius *l*), partis mediae eaeque primariae iconem exhibet Morierus. Ex aere Morieri deſumta eſt tabula noſtra V. Menſurae ſunt hae: Peditum altitudo eſt quinque pedum et novem digitorum; equitum ſex pedum et quinque digi-

i) MORIER. p. 87.
k) MORIER. p. 88. KINNEIR. p. 66.
l) *Hiſtory of Perſia* I. p. 254.

Tobias.

Gen. V. p. 80.

digitorum. Tabulae minoris formae longitudine aequant quatuor pedes et decem digitos. Tabula media, eaque forma maxima, longitudine occupat undecim pedes totque digitos *m*).

3. Opposita in rupe Morierus tabulam invenit multis figuris refertam. Primaria, regem haud dubie sistens, mediam anaglyphi partem occupat. Manu laeva gladium tenet. Caput eius ornat non capillamentum inmensae magnitudinis, ut putat Morierus, sed capillus crispus et effusus. Figurae regiae ad dextram duae hominum series conspiciuntur, quarum superior constare videtur Moriero ex Persis et Romanis, ita ut illi horum duces sint. Quam quidem figurarum diversitatem in Malcolmii tabula haud agnoscas. Inferiorem seriem Persae occupant, quos iterum capillamentis ornant Morierus et Kinneirus, falsi haud dubie hac in re. Dux eorum in utraque manu hominis caput abscissum tenet, quod regiae figurae offert. Mediae figurae ad laevam quatuor iterum sectiones sunt, quarum, praeter alias effigies, inferiori parte homo conspicitur equum ducens. Totam tabulam undecim ulnas longam sistit Malcolmius *n*).

4 Huic anaglypho ad laevam invenitur symbolica illa effigies, duorum equitum de annulo certantium, alias a nobis accurate descripta. Equites ambo regiam speciem prae se ferunt, alter tamen ab altero vestitu et equi ornatu diversus *o*).

5. Parum inde distat alia tabula, cuius superior pars sola integra est; capita refert cum hominum tum camelorum et equorum. Prae omnibus vero conspicitur regis caput bene crinitum, tiara instructum inminente globo, diademate ornatum post tergum fluctuante. Arcus quoque et sagittarum extremae partes conspiciuntur. Effigiem exhibet Morierus *p*).

6. Ultimum quod Morierus describit anaglyphum, maxima arte excisum, maiori figurarum copia et diversitate refertum est, quam omnia

m) MORIER 89.
n) *History* I. p. 254.
o) MORIER p. 89.
p) ad p. 90.

omnia reliqua. Tota tabula quatuordecim ulnas longa, in minores partes divisa est, quarum singula figurarum copia abundat. Mediam totius tabulae partem eadem occupat effigies, quam loco secundo descripsimus, equitis scilicet et supplicis genu innixi; eo tamen discrimine, ut, qui illic manus tantum praetendit, hic annuli figuram equiti offerat. Inter reliquam figurarum turbam conspicuus est homo leonem catena ducens. Figurae ad regem conversae, laxa et multis plicis demissa veste indutae, Indos Moriero prodere videntur; non ita mihi. Unus eorum equum ducit, post quem situs est elephas. Sub his terram fere attingunt homines Romano habitu; inter eos esseda quoque, iunctis equis, conspicitur. Regi ad laevam equitum Persarum copias, ordine quasi militari positas, obviam habes. Singulas nonnullas anaglyphi partes sistit Morierus *q*).

B. Explicatio.

1. Urbis origo.

Multum lucramur ad explicanda haec monumenta eo quod nomen urbis, quae in ruderibus iam deprehenditur, non interiit, autorem vero urbis, ipsius nomen indicat. Est enim urbs Schapur, cuius monumenta descripsimus. Et huius quidem urbis origo, ut ex Kinneiro *r*) constat, ad remotissima Persarum tempora fabulosa refertur; a Tamura enim exstructa, ab Alexandro diruta, restituta demum a Sapore perhibetur. Fide haec esse destituta, facile mihi concedet, qui multa alia eiusmodi figmenta noverit; notissimum enim est Persarum urbibus suis quo antiquiorem eo celebriorem originem tribuendi studium. Magis fidei debetur ei sententiae, qua scriptorum plurimi iique fide digniores consentiunt, Sapori scilicet eius originem deberi, eidem qui et aliarum celeberrimarum urbium conditor praedicatur *s*). Autor enim est Ebn Haucal *t*), conditam esse urbem Schapur in vicinio urbis Kazrun a Sapore, exque eo nomen traxisse. Idem contendit Khondemir *u*), et ex aliis fontibus Herbe-

q) ad p. 91. KINNEIR. p. 67. *r*) l. c.

s) MIRKHOND in: *De Sacy, memoires* p. 289. TARIKH DSCHEHAN ARA, in: *Epitome of ancient history by Ousely*. p. 42.

t) p. 82.

u) *Allgemeine Weltgeschichte* IX. p. 162.

Herbelotus *v*), Eadem esse videtur urbs, quae Sabura audit Golio *w*), qui de ea haec habet: *Urbs est Persidis, magnitudine aequalis Istachrae: at incolarum frequentia maior; uno quasi gradu borealior. A Sapore filio Ardexir, Persarum rege condita hoc nomen accepit: et peculiariter dicitur* شبور خواست *quod desideratus ibi primum et quaesitus a suis fuit Sapor. Circumiacet regio herbis et floribus odoratis omnique fructuum genere ita abundans, ut unus esse videatur hortus. Provincia, quae amplissima, nomen cum hac urbe idem habet.* Sapore regnante haud dubie inter Persiae urbes capitales erat; eius vero agri, qui Kureh Schabur ab ea dicebatur, et post Saporis tempora, caput mansisse videtur *x*). ~~Quo~~ tempore interierit, vix certo effici poterit; multum antiqui splendoris amisisse, fracta Sassanidarum potestate, verosimile saltem est. Neque tamen Arabum invasione prorsus ad exitum vocata est; nam quo tempore Ebn Haucal eam visit, pyreum et templum habebat *y*). Viguerit adhuc sub fine seculi decimi sexti, inde fortasse colligas, quod Abul Fazel eius situm ad longitudinis et latitudinis rationem vocaverit *z*). Ab illo vero tempore nullibi eius mentionem invenias, excepta mappe geographica a Cluverio anno 1672 prodita, qua eius nomen reperitur *a*).

2. *Anaglyphorum significatio.*

Memorabilis legitur apud filium Haucali *b*) locus, dignus qui totus hic transcribatur: "*In the territory of Shapour, there is a mountain; and in that mountain are the statues of all the kings, and generals, and high priests, and illustrious men, who have existed in Pars: "And in that place are some persons, who have representations of them, and the stories of them written"; and this tribe belongs to the territory of Arghan, at Hysn Mohdi.*" Si quid video, nostra ipsa anaglypha sunt, quae filius Haucali describit. Est enim haec filii Haucali anaglyphorum describendorum ratio *c*); occupant porro, quo-

v) *Bibliotheque orient.* s. v. Schabur.

w) GOLIUS ad *Alfraganum* p. 115.

x) INGLIS, in: *Morier* p. 375. *y*) EBN HAUCAL p. 90. 95.

z) 86° 55′ longit. 30° lat. AYEEN AKBERY III. p. 53.

a) MORIER p. 378. *b*) EBN HAUCAL p. 129.

c) Cf. e. c. quae de anaglyphis Persepolitanis habet idem p. 128.

quorum mentionem fecit, montem; montis lateribus et noſtra inciſa ſunt. Vix vero plures montes fuiſſe agri Schapur, inde colligas, quod praeter eum, qui huic nomo verſus orientem fines imponebat, nullius mentio iniicitur a peregrinatoribus, ſed e contrario, in ipſo illo agro, quem haud peramplum fuiſſe, conſtat *d*), planities ſatis ſpatioſa fuiſſe contenditur *e*), ita ut prati adeo ſpeciem habuerit ager, teſte Golio *f*). Eadem anaglypha ab Abulfeda *g*) quoque, eadem fere ratione (niſi quod Albufedae deſunt, quae ſub finem habet Ebn Haucal) deſcribuntur: "*Inter admirabilia Perſiae eſt mons ille, in Kurah Sabur ſitus, in quo regum cuiusque imago lapidi conſpicitur inciſa, et cuiusque Marzapani* (*ſeu ſatrapae*) *quem Perſae meritis norunt illuſtrem, et aeditui cuiusque ignis fama praeclari.*" Videtur ſane iam tum temporis regio iſta monumentis ſuis inclaruiſſe, inter admirabilia enim haec recenſentur.

Vix dubitari poterit, quin eidem tempori, ad quod pertinet urbis origo, tribuenda quoque ſint anaglypha. Artis eorum ratio et indoles Saſſanidarum tempora arguit, ſingula vero indicia Saporem produnt autorem. — Notum eſt, conſueſſe Perſarum reges urbes condere in memoriam facti alicuius clariſſimi. Sic e. c. Cyrus Paſargadas condidit eo loco, quo Aſtyagen vicerat *h*); Artaxerxes ſtruxit urbem Iaur in memoriam victoriae de Artabano reportatae *i*); Varanes et Sapores Dhulaktaf eundem imitati ſunt morem *k*). Hinc ſagaciſſime colligit Morieri doctus commentator, Saporem quoque, ſimili ratione commotum, condendae urbi Schapur manum inpoſuiſſe *l*). Quum vero nullum factum tota vita peregerit Sapores clarius, nullumque, quod poſteritati mandaretur dignius, inſigni illa victoria, qua, Romanis fuſis, captus et in ſervitutem redactus eſt Valerianus: in huius ipſius victoriae memoriam, urbem Scha-

d) Erravit haud dubie Golius, (ad Alfraganum. p. 115.) qui ampliſſimam habet provinciam Schapur; teſtatur enim Ebn Haucal. p. 82. "*There are five Kourehs in Fars; the ſmalleſt is Koureh Shapour.*"

e) Kinneir p. 65. *f*) Golius l. c., Kinneir l. c.

g) Büsching's *Magazin* IV. p. 254.

h) Stephanus Byzant. ſ. v. Πασσαργάδαι.

i) Ebn Haucal p. 101. *k*) Morier 378.

l) Morier 379.

Schapur a Sapore conditam, eiusque nomine appellatam fuisse, acute opinatur Inglisius. Quae coniectura si vana non est, verosimile saltem fit, anaglyphis illis, tam ad bellum illud cum Romanis, quam ad victoriam de Valeriano reportatam, alludi. Videamus num monumentis ipsis fulciatur haec coniectura: — Saporis effigiem sub equitis figura, tabula nostra V. expressa, sisti, ex solo fastus ambitionisque studio Orientis verosimillimum est; urbs enim glyphicis monumentis clara, a Sapore condita, ante omnia exhibere debebat autoris effigiem. Cui verosimilitatis rationi accedit fama Persarum *m*), quae ipsum Saporem in monumentis illis agnoscit. Quibus adiicias superbiae et crudelitatis indicia, in regis nostra effigie obvia, quae bene quadrant cum Saporis indole. Addas adhuc exhibitae figurae tiaram a superiori parte trifidam, qua simili instructum exhibent Saporis protomum numi *n*). Quibus computatis, Saporem in equite nostro exhibitum puto *o*). — Figura altera, post illam attentione dignissima, ea est, quae genu innixa, manus supplex versus regem protendit. Diversa est a reliquis effigiebus et capitis tegumento rotundo, et brevi veste gladioque a Persicis alieno. Romanum vix ignores; conveniunt omnia cum Romanorum militum habitu et cultu *p*). Quem vero Romanorum potius exhibitum putes, quam ipsum illum Valerianum? qui accommodatior erat ad gloriam Saporis hoc loco celebrandam? quod argumentum magis convenit cum Persarum indole, quam quod ipse ille Valerianus, hostis infestissimus, eo vitae momento exhiberetur, quo supplex Sapori se submiserit? Ad Saporis gloriam ostentandam comparata sunt

m) l. c. *n*) Cf. Visconti Tab. 51. Nr. 3. 4.

o) Causae Inglisii cum vanae sunt tum ridiculae: primum *similitudo huius figurae oris cum facie Saporis, in numo apud De Sacy* (tab. VI. Nr. 3.) *expressa*. Numus Sacyanus est Saporis II, nostrum vero anaglyphum sistit Saporem I; nullum igitur hoc Inglisii argumentum. Dicit porro, *regiam figuram in nostra tabula cinctam esse diademate duplo, quo se ornare consueverit Sapor:* hoc alterum verum, prius falsum, meis enim oculis unum tantum diadema conspicio. Tertiam denique causam affert, *similem esse nostram figuram ei, cui inter monumenta Nakschi-Rustam* (indicare vult Nakschi-Radjab, in eo enim solo inscriptio, ad Saporem referenda, obvia est) *conspicuae, inscriptio addita sit, nomen Saporis exhibens.* Conferas quaeso, tabulas nostras III et V., utrumque monumentum sistentes; ubi mehercule similitudo? num in ore exeso, num in vestitu prorsus diverso? Quae haec est probandi ratio!

p) Malliot et Martin, *costumes des anciens peuples* T. I. Pl. XXII sqq.

86 PARS A. PERSIAE TERRAE OCCIDENTALES. SECTIO I. PERSIS.

sunt et reliqua. Victoria alis delata Sapori diadema regium offert et expandit. (Ita enim potius interpretarer hanc effigiem, quam cum Inglisio, qui pro Gloriola, quae gloriae expandat libellulum, eam accipit). Videntur Persae a Parthis hanc symbolicam figuram petiisse; occurrit, quae similem haud dubie significationem habet, effigies, paucis mutatis, in Seleucidarum q) et Parthorum r) numis; inter alios Orodes, victoria de Crasso nobilitatus, manu eam tenens exhibetur s). Videtur ergo cum hic tum illic ad victoriam alludere. Homo, quem regis equus pedibus pulsat, imago, haud dubie, devicti alicuius vel interemti adversarii, regem, ni fallor, indicat militem fortem et felicem, hostium victorem. Homo iste cuius manum prendit rex, pari modo captivorum aliquis esse videtur. Romani speciem et hic quodammodo habet. Duas reliquas figuras non pro Aegyptiis cum Moriero, sed pro Persis habeo; altera manum laevam sublevans, ornata est tiara bucculis instructa, involuta et in fronte demissa, qualem gestare solebant, qui e vulgo erant, ut habet Scholiasta ad Aristophanem t). Instructa est praeterea gladio permagno, cuius generis, Sassanidis proprios, in monumentis multos observaveris. Inferiorem eius cultum parum accurate delineasse videtur Morier. Figura supplici ad dextram insignita est pileo turrito u), quo, aeque ac illo altero capitis tegmine, uti licuit Persarum cuivis. Servi fortasse hi sunt regis ambo, ad custodiendos captivos constituti. De reliquis eiusdem anaglyphi figuris ita statuo: hominum ad regem conversorum, qui inferioris seriei mediam partem occupant v), captivi esse videntur, nullo enim armorum genere conspicui sunt; unus eorum annuli figuram manu sublata tenet, summae fortasse potestatis ab iis Sapori oblatae symbolum. Qui vero eos praecedunt, quique post eos siti sunt, armati omnes, speciem habent ac si regi adducerent captivos. Ad regis corporis custodiam equites pertinere videntur, qui post tergum regis duplici ordine siti, excepto capitis ornatu, regi simillimi sunt vestitu cultuque.

Quos

q) VAILLANT *Seleucidarum imperium* p. 254. 255. aliasque.

r) Idem, *Arsacidarum imperium* p. 31. VISCONTI Pl. 49.

s) TYCHSEN *Commentats. Gott. rec.* Vol. I. Tab. II. Nr. 14. VISCONTI 49. Nr. 18. 19.

t) Aves. v. 487. τοῖς μὲν ἄλλοις (praeter reges) ἔθος καὶ ἐπτυγμένην (sc. τιάραν) καὶ προβάλλεσαν εἰς τὸ μέτωπον ἔχειν.

u) STRABO XV. p. 1067.

v) Cf. tab. Malcolmii.

Quos fiftit anaglyphum tertio loco defcriptum, pro Perfis habeo omnes; alios enim gladius praelongus, alios reliquus corporis cultus (tunica fcilicet et et braccae κάνδυς — ἀναξυρίδες) Perfas prodit. Regem haud ignoras media tabulae parte confpicuum, fella fedentem, omnia oculis metientem. Audientia, quam vocant, exhibita videtur. Capita abfciffa, quae manibus tenet homo inferiori ferie collocatus, ad cruentum procul dubie facinus quoddam alludunt; regis vero Armeniae caput effe, vix affirmare auderem cum Inglifio *w*); facinorum enim cruentorum multa peregit Sapores. Equus in inferiori tabulae parte confpicuus Perfarum more ornatus eft. Frena laminibus illis magnis et rotundis inftructa eiusdem generis funt, cuius fimilia cum in aliis tabulis, tum apud Niebuhrum inprimis obvia funt *x*).

Anaglyphum loco quinto defcriptum, expeditionem aliquam a Sapore fusceptam exhibere, docent camelorum capita. Saporem haud ignores, bene crinitum, diademate duplo, vittis poft tergum fluitantibus, ornatum.

Tabulam fexto loco defcriptam non integram nobis effe exhibitam, eft quod maxime doleas, quum figurarum diverfitate et fingularitate prae ceteris emineat. Rex iterum obvius occupat mediam totius iconis partem. Eadem ratione exfculptus eft, qua in anaglypho primo occurrit, eo tantum discrimine, ut fupplicis figura non manus fed annulum ei offerat. Qua re, ni fallor, infigniter confirmatur noftra generalis de annuli figura fententia. Significat procul dubio hoc loco *fummam poteftatem a devicto victori oblatam.* Inter reliquas figuras et Aegyptios Indosque agnoscere haud dubitat Morierus. An verum viderit, nefcio; quae fingula fragmenta fiftit pictura Morieri, nec hos nec illos produnt; ex laxa et demiffa vefte, qua indutas eas dicit Morierus, nihil colligitur, ita enim veftitos effe Perfas, docent alia monumenta. Refragari porro videtur Morieri fententiae, quod originem debent haec monumenta principi, de quo, an unquam cum Indis vel Aegyptiis rem habuerit, non conftat; fed liceat adeo illud conftet, vix locus eorum foret aptus in monumentis, quae Saporem de Romanis triumphantem exhibere viden-

w) Morier p. 381.

x) Niebuhr. II. Tab. XXXIII. D.

dentur. Romanorum vero in hoc anaglypho aperta obvia sunt indicia. Memorabilis est equi apud Morierum *y*) exhibiti ornatus, idem plane, quo indutus conspicitur Romanorum equus apud Malliotum *z*). Equites duo, eadem tabula conspicuos, pro Persis habeo. Capitis tegmine instructi videntur implicato, involuto et in frontem proiecto *a*). Laminae magnae et rotundae, quibus equorum frena ornata sunt, Persarum morem produnt. In esseda ambiguo, utrum ad Persas, an ad Romanos referam; homines equos ducentes Romanis similes, esseda vero ad Persas potius referenda videtur. Simile enim curruum genus Niebuhrus *b*) ex ruderibus Persepolitanis sistit.

In monumentis nostris explicandis, nemo sane exspectabit, nos singula quaeque ad rationes suas revocare; nam primum, parum tantum de historia urbis Schapur nobis constat, deinde ipsorum monumentorum cognitio quam maxime imperfecta est et manca. Neque tamen spes deest, ultra nobis progredi licere, si modo integra nobis exhibita fuerint, omnia, quae supersunt, anaglypha. Tanta enim est, ut contendit Morierus *c*), figurarum copia, tantaque hominum, quoad oris lineamenta, summa arte a sculptore expressa, diversitas, ut, si patria modo effici posset, ad quam singulae figurae pertineant, haud parum inservirent anaglypha historiae illustrandae.

3. *Artis ratio.*

Ex Moriero discimus, anaglypha nostra ad maximam partem summa arte esse perfecta, legibus anatomes bene semper servatis *d*). Idem praedicat de monumento architectonico ibi adhuc superstite; nihil enim cedere dicit vel optimis Graecorum monumentis architectonicis *e*). Fidem facit huic laudi monumenti pictura. Ex historia vero, aliisque Persarum monumentis constat, in arte sculpendi nunquam perfectionis aliquem gradum assecutos fuisse Persas;

y) tab. ad p. 91.

z) MALLIOT ET MARTIN *costumes*, Tom. I. Pl. 39.

a) SUIDAS s. v. *τιάρα: κεκλιμένη.* HESYCH. s. v. *τιάρα: ὑποκεκλιμένη.* Ad *Aristoph. aves* 487. SCHOLIASTA *ἐπτυγμένη, καὶ εἰς μέτωπον προβάλλεται* (sc. *τιάρα*).

b) NIEBUHR II. Tab. XXII.

c) p. 88.

d) MORIER p. 87. aliisque locis.

e) p. 91.

Persas; singularum enim partium concinnitatem et anatomes regulas semper neglexere. Est igitur quod iure mireris, qui fieri potuerit, ut talia summa arte perfecta monumenta hic inveniantur. Iure idcirco opinatur Morieri commentator *f*), perfecta ea esse ab artificibus Europaeis, quos Sapor vel ex Valeriani exercitu ad ea perficienda coegerit, vel post Asiae Minoris invasionem, inde secum duxerit. Putat adeo, Saporem fortasse, ut eo magis se victorem ostenderet, partem huius operis perficiendam Valeriano ipsi inposuisse. Cui opinioni verosimilitatis speciem aliquam affert fama illa, quae Valerianum coactum perhibet, suos ipsius carceres in urbe Schuster exstruendi *g*), Vereor tamen, ne haec aeque ac multa alia, quae de Valeriano inhumaniter tractato perhibentur, veritate sint destituta *h*). Graecorum igitur vel Romanorum est ars, quam non modo singulae monumentorum partes arguunt (ut exempli causa Victoriola alis delata), sed quam indicat ipsa artis magna perfectio. Probatur quoque haec sententia historicorum testimoniis *i*).

SECTIO II.

S u s i a n a.

Praemonenda de Susiana.

Susiana nunc *Khuzistan* vel *Khohestan* dicta, fines habet: ab *oriente* Persidem, a *meridie* sinum Persicum, ab *occidente* Babyloniam, *septentrionem* versus Mediam et Elymaeos *a*). Secundum alios scriptores Susiana pars Persidis censetur *b*), alii eam a Perside disiungunt;

f) p. 386.
h) GIBBON I. p. 331.
a) STRABO. p. 795. 1058. 1110.
g) KINNEIR. p. 98. MORIER 386.
i) DE SACY, *memoires* p. 324.
b) STRABO. p. 1058.

gunt; Herodotus adeo propriam eam facit satrapiam *c*). Tota terra planities est multis fluviis irrigua, satis spatiosa, ambitu dimidium fere efficiens Persidis, quam, licet eadem cum illa fruatur coeli temperie, tam soli ubertate quam aëris et aquae salubritate, adeo vincit. Quibus quidem commodis si adiungas, quod Susiana intermedia erat Persidi, Babyloniae et Mediae, intelligitur cur Persarum reges eam inhabitandam tres vernos menses sibi sumserint. Eandem fere imperii sortem cum Perside semper habebat Susiana. Monumentis non aeque clara est: de Susis ipsis dubia tantum et levioris momenti superfunt reliquiae; alia vere e tempore Achaemenidarum, quod scimus, rudera exstant nulla. Cuius rei causa inde repetenda videtur, quod non ex saxis caesis et quadratis Susianae monumenta constabant, sed ex coctili lapide ad modum Babylonis. Sassanidarum tempore haec aedificandi ratio inmutata est; ex ea enim aetate nonnullae supersunt munumentorum saxis quadratis structorum reliquiae, aliorum mentionem facit Ebn Haucal *d*). — Cognitio nostra cum veteris huius terrae conditionis tum hodierni eius status, multo magis tenebris est occulta, quam de Perside notitia.

CAPUT I.

Susa.

I. Susorum descriptio.

Caput Susianae *Susa* (τὰ Σῦσα) erant, ita dicta, teste Athenaeo *a*), διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου; *Sosan* enim Orientalibus lilium est, liliis vero abundasse dicitur Susorum regio. In sacris literis nomen habent *Schuschan b*). Audiunt praeterea Μεμνόνειον ἄστυ *c*), item

c) HERODOTUS III. 91. RENNELL's *geograph. syst.* p. 267.

d) p. 72 sqq.

a) ATHEN. XII. 1. STEPHANUS BYZANTINUS s. h. v. κέκληται ἀπὸ τῶν κρίνων οἱ πολλοὶ ἐν τῇ χώρᾳ πεφύκει ἐκείνῃ, Σῦσαν τε αὐτὸ καλοῦσιν οἱ βάρβαροι.

b) DANIEL. VIII. 2. NEHEM. I. 1. *c*) HERODOTUS V. 54.

item Μέμνονος κτίσμα *d*), quod a Tithono Memnonis patre, cxx stadiorum ambitu, figura oblonga, condita perhibentur *e*). Ex quo quidem testimonio nihil amplius colligas, quam quod ad prisca usque tempora Susorum ortus referendus est *f*). Quamquam certum est, antiquiora fuisse Susa Dario Hystaspis filio, quem eorum autorem habet Plinius *g*), nec tamen plane reiiciendum, sed ita fortasse moderandum est Plinii testimonium, ut a Dario restaurata et amplificata intelligamus Susa. Urbis aeque ac templorum et regiae muri similes erant structura Babylonicis, e coctili latere et bitumine, secundum Strabonem *h*) compositis. Cui testimonio aliud eiusdemque Strabonis ex Polycleto allatum, Susa muris caruisse, repugnare videtur. Quam quidem Polycleti sententiam non missam facio cum Cellario *i*), sed ita cum altero Strabonis testimonio concilio ut *urbem ipsam* muris nudam habeam. Probabilitatis speciem affert, quod Alexander nullo munimento prohibitus urbem ingressus est, eaque potitus sine molestia; nec apud Arrhianum nec apud scriptorum alium, murorum expugnatorum mentio occurrit. Muri igitur apud Strabonem et Pausaniam *k*) commemorati si, quid video, Susorum arcem circumdabant; non enim credibile est, regiam sedem et tanti thesauri custodiam munimentis caruisse satis firmis. Cum ex hac causa, tum ex loco apud Diodorum Siculum *l*) iure colligitur, arcem fuisse firmissimam. Arcis splendorem docet Cassiodorus *m*), quo teste, Cyri Medorum regis domum, illigatis auro lapidi-

d) STEPHANUS BYZANT. s. h. v.

e) STRABO p. 1058. λέγεται γὰρ δὴ καὶ κτίσμα Τιθωνοῦ τοῦ Μέμνονος πατρὸς, κύκλον ἔχουσα ἑκατὸν καὶ εἴκοσι σταδίων παραμήκης τῷ σχήματι, ἡ δ' ἀκρόπολις ἐκαλεῖτο Μεμνόνειον. cf. et STEPH. BYZ.

f) In Tithono et Memnone quomodo luxuriaverit poetarum ingenium, vide apud *Heynium*: *in Apollodorum*, III. 12. *Animadverss.*

g) H. N. VI. 31. *Susiana, in qua vetus regia Persarum Susa, a Dario Hystaspis filio condita.*

h) XV. p. 1059. τὸ δὲ τεῖχος ᾠκοδόμητο τῆς πόλεως, καὶ ἱερὰ, καὶ βασίλεια παραπλησίως, ὡς περ τὰ τῶν Βαβυλωνίων ἐξ ὀπτῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου, καθάπερ εἰρήκασι τινες. Πολύκλειτος τε διακοσίων φησὶ τὸν κύκλον, καὶ ἀτείχιστον.

i) Geogr. ant. II. p. 683.

l) XIX. 16.

k) *Messeniac.* c. 31.

m) *Varia* VII. 15.

pidibus, arte prodiga fabricavit Memnon. Cassiodori verba firmat locus Pseudo-Aristotelis *n*) de magno rege Susis et Ecbatanis regiam habente. Diodorus Siculus *o*) celebratam vocat Susorum regiam (*τὰ περιβόητα ἐν Σέσοις βασιλεῖα*). De singulis Susorum partibus praeter arcem, parum scimus; Plinius templum Dianae commemorat, de quo et Martianus Capella *p*) haec habet: "Oppidum nobile Susa, in quo templum Dianae." Quod quidem fanum aeque ac Ecbatanis, Anaitidis haud dubie fuit; haec enim Dea a Graecis Diana vocata est *q*). Iosephus *r*) narrat, Danielem Ecbatanis turrim mirabili artificio exstruxisse. Quae Iosephus Ecbatanis, Hieronymus *s*) Susis locat, utrum memoria lapsus, an ex alia causa falsus, nescio, nec multum interest, quum toti Iosephi narrationi parum fidei habendum videatur *t*). Susorum amplitudinem et praestantiam epitheta probant, quibus ornantur a veteribus scriptoribus *u*). Fuerunt Susa inter illas urbes, quas quadam anni tempestate inhabitabant reges. Cyrus, teste Xenophonte *v*), tres vernos menses ibi transigebat. Errat Athenaeus *x*), qui reges hiemare statuit Susis. Causam, quapropter ea regiam sedem elegerint Persarum reges, hanc affert Strabo *y*), quod Susiam interius sitam, et Babyloniae et aliis gentibus propiorem viderent, simulque regionis eius affinitatem probarent et urbis dignitatem, et quia Susii nunquam pro se magnas attentaverant. Quam immensae fuerint Susorum divitiae, inde intelligitur, quod Alexander pro belli praemio ea haberet. Hac enim urbe potitus, munera illa sponsalia tribuit militibus, iisque quidquid aeris alieni conflaverant, dissolvit; dona superin dedit aliis alia, pro uniuscuiusque virtute, qua in praeliis eminuerat *z*). Nec per Alexandrum prorsus exhauriri potuerunt Susa; licet enim quinquaginta talentorum millia inde sustulerit *a*), nihilo

n) *de mundo* c. 6.
o) XVII. 65.
p) VI. c. *de India* p. 225. ed. Grotii.
q) Cf. infra caput de Ecbatanis.
r) X. 11.
s) *in Danielem.*
t) Cf. cap. de Ecbat.
u) STRABO XV. p. 1058. *πόλις ἀξιολογωτάτη.* STEPHANUS BYZANTINUS *πόλις ἐπίσημος*
v) *Cyri discipl.* VIII. 6. §. 22. *τὸν ἀμφὶ τὸ ἔαρ τρεῖς μῆνας ἐν Σέσοις.*
x) XII. Cf. et Brissonius p. 88.
y) p. 1058.
z) ARRHIANUS VII. 5.
a) DIODOR. SIC. XVII. 65.

nihilo secius Antigonus quoque ad viginti quinque millia ibi praedatus est *b*). Quamquam pluribus Persiae urbibus regum aeraria servabantur, Susis tamen primarium fuisse videtur θησαυροφυλάκιον. Divitias enim ex toto imperio congestas, per longam aetatem intactas ibi conservaverant reges, ut ad inopinatos fortunae casus, quo refugerent, in promtu foret. Hinc factum, ut Aristagoras, quum Cleomenem ad bellum instigaret, hoc incitamento uteretur: Ἐν τῇ Κισσίῃ παρὰ ποταμὸν τόνδε Χοάσπην κείμενά ἐστι τὰ Σοῦσα ταῦτα, ἔνθα βασιλεύς τε μέγας δίαιταν ποιέεται, καὶ τῶν χρημάτων οἱ θησαυροὶ ἐνθαῦτά εἰσι· ἑλόντες δὲ ταύτην τὴν πόλιν, θαρσέοντος ἤδη τῷ Διὶ πλέτε πέρι ἐρίζετε *c*). — Haec fuerunt τὰ περιβόητα Σοῦσα; quae qualia iam sint, inde quodammodo prodit, quod de eorum situ disquisitionem institui necesse est.

II. Susorum situs.

1. Ad quemnam fluvium apud veteres sita perhibeantur?

Magna apud scriptores hac de re obtinet diversitas. Arrhianus *d*), Plinius *e*) et scriptores biblici *f*), Susa ad *Eulaeum* locant; ex Herodoti *g*) vero Strabonis *h*) aliorumque auctoritate sita erant ad *Choaspem*. Difficile videri potest expeditu, utrum ex horum an illorum auctoritate standum sit. Nec ita res componenda, ut ambobus fluviis intermedia putemus Susa; nam primum nec ullibi constat, nec verosimile est, tanta vicinitate sibi affines fuisse illos fluvios; deinde repugnat situs. Ex Curtii *i*) auctoritate Alexander Babylone Susa quum tenderet, prius ad Choaspem fluvium pervenit, quam Susa introivit. Aristagoras in notissima sua terrarum descriptione apud Herodotum *k*), primum Choaspem commemorat, eumque navibus

b) *Idem* XIX. 48.
c) HERODOT. V. 49.
d) VII. 7.
e) VI. 31.
f) DANIEL. VIII. 2. NEHEM. I. 1. ESTHER. I. 2.; scriptoribus biblicis *Ulai* idem est ac *Eulaeus*.
g) V. 49.
h) p. 1059.
i) V. 2.
k) V. 52. ἐκ δὲ ταύτης (Ματιηνῆς) ἐς τὴν Κισσίην χώρην μεταβαίνοντι, ἕνδεκα σταθμοί, παρασάγγαι δὲ δύο καὶ τεσσεράκοντα καὶ ἥμισυ ἐστὶ ἐστὶ ποταμὸν Χοάσπην, ἐόντα καὶ τοῦτον νηυσὶ περητόν· ἐπ' ὦ Σοῦσα πόλις πεπόλισται.

vibus traiiciendum esse docet, deinde Susorum mentionem iniicit. Ex his, si quid video, iure colligitur, sita fuisse Susa in orientali Choaspis ripa *l*). Eulaeus autem si diversus fuit a Choaspe, huic ad occidentem fuerit necesse est. Teste enim Arrhiano *m*) fossa navibus pervia coniuncti fuerunt Tigris et Eulaeus, quod quidem fieri nequit, si interiectus fuisset Choaspes, qui in sinum Persicum se exonerabat. Hinc igitur, quum Tigridi proximus esset Eulaeus, post hunc vero Choaspes locum obtineret, fieri nequit, ut ad utrumque fluvium sita fuerint Susa, quippe Choaspi erant ad orientem *n*). Quum vero ambobus fluviis tribuantur Susa, quum ambo fluvios ex Media derivet Plinius, quum scriptorum alii *o*) alterum noverint alterum ignorent, quum denique non raro unus idemque Persiae fluvius diverso nomine appelletur; eundem habeo Eulaeum et Choaspem, ita ut fortasse Eulaeus Chaldaicum, Choaspes vero Persicum nomen sit.

2. *Cuinam recentioris nominis fluvio respondeat veterum Eulaeus vel Choaspes?*

Altera illa quaestio, cuinam recentioris nominis fluvio respondeat Eulaeus, luce collustratur per Arrhianum *p*), qui narrat, Alexandrum ex India reducem (quum Susa pervenisset eoque et classem appulisset), cum delecta manu per Eulaeum fluvium ad mare navigasse, indeque ad Tigris ostia contendisse; navium vero alteram partem per alveum, quo Eulaeus et Tigris coniuncti essent, in Tigrin devectam fuisse. De Tigri ipso, nec ullo modo de Pasitigri, uti videtur Mannerto *q*), cogitandum esse, cum sequentia apud Arrhianum docent, quae solummodo de Tigri accipi possunt, tum inde intelligitur, quod Pasitigris ex scriptorum testimonio Eulaeo ad orientem est et

l) Et vis praepositionis ἐπί meae opinioni favere videtur.

m) VII. 7.

n) Hinc, ut hoc obiter moneam, patet, non ita esse incertum, ac Kinneirus (p. 103.) putat, quo fluvii ripa sita fuerint Susa. Si scilicet Choaspes unus idemque fuit fluvius cum Eulaeo, eidem fuerunt ad orientem; si vero uterque fuit diversus, (contra meam opinionem), Eulaeo sita fuerint necesse est occasum versus, quum Choaspi essent ad orientem, ut demonstrasse opinor.

o) Ptolemaeus Choaspem ignorat, Herodotus Eulaeum.

p) VII. 7.

q) V. p. 477.

et orientali cursu fertur *r*). Apparet igitur, eum fluvium, qui in Media ortum habet, itemque Tigri proximus est, fuisse Eulaeum vel Choaspem. Qui fluvius nullus nisi ille esse potest, qui apud Kinneirum audit *Kerah*; hic vero ex una tantum parte iam quadrare videtur cum Choaspe, quippe scilicet, secundum Kinneiri mappam, non in sinum Persicum, sed in Tigrin effunditur, quod vero Arrhiani de Choaspe testimonio repugnat. In qua difficultate tollenda non eo confugio, ut Kinneirum in constituendo hoc fluvio inaccuratius egisse putem, quod non consentiat cum Moriero, cuius mappa in hac re cum veterum testimoniis magis quadrat, sed fluvium Kerah, iam in Tigrin (vel Schatelarab) se exonerantem, olim in sinum Persicum effusum puto. Quae quidem fluvii cursus mutatio non valde mirum habebit eum, qui neminerit, maximos adeo Persiae fluvios, ita saepe paucis saeculis praeterlapsis cursum mutasse, ut difficile sit eos agnoscere. Hanc fluviorum mutationem in Persia admittas necesse est, quum plane fieri nequeat, ut veterum de iis testimonia cum peregrinatorum nunciis consentire facias. Qua in re notanda laetor, me consentientem habere Kinneirum *s*), suis ipsius oculis idipsum expertum. In Eulaeo ipse ille alveus causa fortasse fuit cursus mutationis. Fluvium *Kerah* igitur pro veterum Eulaeo habeo (qui idem ac Choaspes), ad cuius ripam orientalem Susa sita fuisse autumo.

III. Susorum reliquiae.

Duo milliaria Germanica occasum versus ab urbe hodierna Dezphûl incipiunt rudera urbis *Schûs*, (sub 32° 8′ latit. 48° 15′ longit.). Kinneirus primus est, qui regionem illam accuratiori examini subiecit; quae affert Otterus *t*), levioris sunt momenti, levissimi vero quae habet Tavernierus *u*). Rudera illa ad tria milliaria Germanica in orientali latere fluvii Kerah se extendunt. Similia sunt iis, quae Babylonis Ctesiphontis et Kufae urbium reliquiae habentur; sunt scilicet tumuli terracei et aggeres coctilibus tegulisque variegatis conspersi *v*). Tumulorum maximi iique notatu dignissimi

r) Strabo XV. c. 6.
s) p. 104.
t) II. 53.
u) I. p. 336.
v) Kinneir. p. 99. The ruins of Sehûs extend as far as the eastern bank of the

gnissimi dimidium milliarium a fluvio Kerah absunt; alter circuitu quartam milliarii partem aequat, alter, non pari quidem altitudine, prioris ambitum bix explet. Similes sunt aliquatenus pyramidibus Babylonicis, eo tamen discrimine, ut illae mere compositae sint coctilibus, hi vero tumuli luti stratis constent et coctilibus caemento iunctis. Magna praeterea fragmenta marmorea, hieroglyphis insignita inter rudera passim inveniuntur. Quae hieroglyphae, quum Aegyptiacis similia sint, nullaque alia Persiae regione inveniantur, ex Aegypto deportata putat Malcolmius, ut tropaea essent victoriarum ad Nilum a Persarum regibus reportatarum. Prope ad tumulum altiorem situm est sepulcrum Danielis, parvae et recentioris structurae aedificium, eo loco exstructum, quo prophetae reliquiae, repositae perhibentur *w*). — Haec igitur modo descripta rudera veterum Susorum cum Kinneiro habeo. Rennellius *x*) olim idem contenderat; ei se opposuit Vincentus *y*), eamque amplexus est sententiam, qua ante Rennellium omnes fere inbuti erant, hodiernam scilicet urbem *Schuster* veterum Susorum locum occupare. Inmensum foret, nec huius loci, omnes Vincenti rationes examinare; sufficiat rationes afferre pro Kinneiri sententia. Quarum quidem gravissimae hae sunt:

a) Necesse est ut Susorum rudera ad fluvium hodiernum Kerah quaeramus, quippe qui solus (ut demonstrasse arbitror) veteri Choaspi vel Eulaeo respondet.

b) Situs urbis *Schus* magis quadrat quam *Schuster* cum distantia inter Sardes et Susa, ab Aristagora apud Herodotum definita *y*). Favet quoque Arrhianus *z*), qui Alexandrum Babylone Susa venisse contendit vicesimo die.

c) Teste Strabone *a*) τὸ δὲ τεῖχος ᾠκοδόμητο τῆς πόλεως, καὶ ἱερὰ, καὶ βασίλεια παραπλησίως, ὥσπερ τὰ τῶν Βαβυλωνίων ἐξ ὀπτῆς πλίν-

the *Kerah*; occupy an immense space, between that river and the *Abzal*; and like the ruins of Ctesiphon, Babylon, and Kufa, consist of hillocks of earth and rubbish, covered with broken pieces of brick and coloured tile.

w) KINNEIR. p. 100. — MALCOLM'S *history of Pers.* I. p. 256.

x) *Geographical System of Herod.* p. 302. VINC. *ancient commerce* I. p. 439 sqq.

y) HERODOT. V. 52. RENNELL. *Geogr. Syst.* p. 324.

z) III. 16. *a*) XV. p. 1059.

πλίνθε καὶ ἀσφάλτε, καθάπερ εἰρήκασί τινες. Cum his optime convenit, quod teste Kinneiro *b*), rudera urbis Schus constant ex coctili latere. Lapidibus caret regio *c*).

d) Nominis similitudo, quae maxima est in urbe Schus.

e) Fama de Daniele in hac urbe sepulto. Quamquam non ex certis veterum scriptorum testimoniis scimus, quo loco mortuus sit Danieles, verosimile tamen est, ut demonstravit Huetius *d*), Susis obiisse. An omnino ita sit, parum curo, illud vero certum est, Orientalibus saltem ita videri *e*). Peregrinatores inter rudera urbis Schûs inveniri testantur aedificium, quod pro Danielis sepulcro habent incolae *f*). Firma illa persuasio, revera hic humatum esse Danielem, causa fuit vel huius aedificii exstruendi, vel, quod probabilius, aediculae alicuius iam dudum conditae in Danielem referendae. Est igitur, nisi me fallit mea opinio, primarium argumentum, quod ex hoc, quamvis recentioris aetatis monumento, peto. Falsissimam vero esse Persarum sententiam, ex qua haec aedicula ad Danielis usque tempora recurrit, quae et quodammodo Huetii fuisse videtur, ex Kinneiro *g*) et Malcolmio *h*), apud quos parvum et recentioris structurae aedificium audit, clare apparet.

CAPUT II.

Monumenta urbis Schuster.

Urbs *Schuster* vel *Tuster* (sub 32° latit. et 48° 59′ longit.) ad radices montis Bactiari sita, in ripa meridionali fluvii *Karûn*, teste Kinneiro *a*) haud contemnenda spectanda praebet rudera, quae satis

b) p. 100.
c) lb. 104.
d) *Demonstratio evangelica* p. 406.
e) ABULPHARAGII *hist. dynast.* p. 54. ABULFEDA in: *Büsch. Magaz.* IV. p. 252. ibique Reiske.
f) EBN HAUCAL p. 76. BENIAMINUS TUDELENSIS *par Baratier* p. 173.
g) p. 100.
h) I. p. 256.
a) p. 97.

tis probant, urbem quondam hoc loco fuisse celeberrimam. Dolemus, rudera a peregrinatorum nullo, qua debuerint cura descripta esse. Kinneirus enim ipse, post Otterum *b*) obiter tantum de iis loquentem, potius enumerat quam describit loci memorabilia. Attentione dignissima habet castellum, canalem, et pontem. Castelli muri, in extrema meridionali urbis parte, parvum montem occupant, quem firmiorem quondam reddebat ex altera parte fossa, ex altera fluvius Karun. Ostium castelli Romanam artem innuit. Mons excavatus aquaeductuum et cuniculorum ostendit rudera. Haud procul inde canalis est, ex lapidibus caesis artificiose constructus et fibulis aeneis compactus, viginti pedum latitudine et ducentarum ulnarum longitudine. Eo consilio exstructus esse videtur, ut aquam suppeditaret fossae et regionem fecundaret.

Docent quae attulimus, inter urbes antiquas referendam esse Schuster. Idem testatur Abulfeda *c*). Herbelotus *d*) aliique originem eius ad Huschencum referunt. Secundum Persarum testimonium aedificata est a Sapore Artaxerxis filio, qui eam Valeriano captivo auspice exstruxisse, eamque, quo iam appellatur nomine, dixisse traditur *e*). Non abhorret hoc a verosimilitate; mos enim erat inprimis Sassanidarum, per Romanos et Graecos praecipue vero captivos, monumenta sua exstruendi. Sapori restaurationem tantum urbis tribuit Herbelotus, qui praeterea addit, mutato nomine postea *Khuat-Schabur* ab eo appellatam fuisse. Quamquam per ruderum descriptiones hucusque prolatas certe effici nequeat, utrum antiquior sit Sapore urbs Schuster, nec ne; non dubito tamen, quum et fama incolarum accedat, et filii Haucali testimonium *f*), et architecturae ratio Sassanidarum tempora arguere videatur, quin quae descripsimus monumenta ex maxima parte Saporem habeant autorem, qui in iis exstruendis Romanis usus fuisse videtur artificibus, quos fortasse ex Valeriani exercitu ad opera illa perficienda adegit.

CAPUT

b) II. p. 55.

c) BÜSCHING'S *Magazin* IV. p. 249.

d) D'HERBELOT *biblioth. orient.* s. h. v. (III. p. 278.).

e) KINNEIR. p. 98.

f) EBN HAUCAL p. 76. Canalis originem Sapori tribuit filius Haucali.

CAPUT III.

Rudera urbis Ahwaz.

Duodecim fere milliaria meridiem versus ab urbe Schuster, ad orientalem ripam fluvii Karûn sita est (sub 31° 22′ lat. et 48° 42′ longit. secundum Kinn. mappam) parva nunc urbs *Ahwaz*, ob rudera sua satis memorabilis. Attentione dignissima sunt pontis et palatii reliquiae *a*). Palatii muri adhuc superstites, trecentorum pedum longitudine, et quindecim altitudine, exstructi sunt lapidibus caesis, quorum nonnulli longitudine aequant sex pedes. Rudera proxime contingunt fluvium, ita ut eum transiecti fuisse videantur muri. Rupi propinquae incisae sunt cavae singularis structurae, quarum aliae formam habent frigidariorum (ut vertit Meninski), quorum usui et inserviisse videntur, aliae sepulcrorum speciem prae se ferunt *b*).

Magna olim et florentissima fuit urbs et provinciae quondam nomen dedit *c*). Teste Kinneiro hiberna erat regia Artabani, Arsacidarum ultimi. Abulfeda habet: *Al Ahwaz est Kurah (seu nomus) inter alios Churesianicos. Appellatur quoque Hormoz-Schahr, seu urbs Hormozi aut Hormisdae.* Unde fortasse sequitur, ab Hormisda, principe e Sassanidarum stirpe octavo, filio Narsis, conditam esse. De Hormisda ceterum constat, multarum Susianae urbium esse autorem *d*).

a) KINNEIR. p. 89.

b) In the rocks are some extraordinary excavations, many of them in the form of *surdabs*, and probably used by the former inhabitants as such; whilst others have exactly the shape and dimensions of a coffin, KINN. p. 90.

c) ABULFEDA *Büschings Magaz.* IV. p. 250.

d) D'HERBELOT, *bibliosh. orient.* s. h. v. MIRKHOND in: *De Sacy, memoires sur div. ant.* p. 304.

SECTIO III.

Media Magna.

Praemonenda.

Media Magna limites habet: *a septentrione* mare Caspium, ab *oriente* Parthiam et montes Cossaeorum, *meridiem* versus Sittacenen et Zagrum montem, ab *occidente* Assyriam et Armeniam *a*). Complectitur fere illas terras, quae iam communi nomine *Irak - Adschemi* comprehenduntur. Cum ipsius terrae ambitus permagnus *b*), tum nonnullarum eius partium soli fertilitas aërisque bona temperies *c*), tum incolarum magna frequentia et fortitudo effecerunt, ut inter primarias Persiae terras censeretur. Iam inde ab antiquissimis temporibus Medi sub propriis regibus erant, et potentissimum efficiebant populum; nam Syrorum imperio everso, ut habet Strabo *d*), Media toti imperavit Asiae, et multum adeo pristinae dignitatis retinuit, postquam Cyrus et Persae Astyagen deiecerant. Populus fuit cum divitiis tum culturae loco prae ceteris Asiae populis conspicuus. Ars aedificandi et sculpendi longe ante Cyrum ab iis excolebatur. Licet non ad fidem historicam exigenda sint, quae de Semiramide eiusque artis operibus tradunt scriptores *e*), antiquitas tamen artis inter Medos excultae, tam istis narrationibus probatur, quam historicorum de monumentis Ecbatanorum testimoniis. Pauca tantum eaque dubia e Medorum operibus architectonicis nobis restant indicia. Cuius rei causa non a mala artis eorum ratione, sed e materia, qua opera sua construere solebant, repetenda videtur. Cum

a) STRABO p. 795. 796. Cf. et POLYBIUS V. 44.

b) A transitu montis Zagri usque ad portas Caspias Media efficiebat quater millia et centum stadiorum, STRABO, p. 797.

c) RENNELL, *geograph. syst.* p. 271. *d*) p. 795.

e) Cf. quae passim de Semiramidis monumentis annotabimus.

Cum enim coctili latere potissimum uterentur, simulac incolis relinquerentur aedificia, aliorum exstruendorum inserviebant materiei. Persarum monumenta plura in hac terra restant; ex Achaemenidarum tempore perpauca tantum; Sassanidarum operum plura, eaque attentione dignissima. — Quamquam paulo magis nobis innotuit vetus Media quam multae aliae Persidis terrae, multum tamen abest, ut perfecta nostra eius sit cognitio; nemo fere peregrinatorum deflexit a viis illis, quae a Bagdado Hamadanum, et a Tauri Isfahanum ducunt. Quae inventa sunt rudera, omnia fere ad istas vias sita sunt; multa igitur et hanc terram inprimis fovere antiquarum urbium aliorumque monumentorum, quae adhuc latent, vestigia, certissimum est. — Nos e finibus Mediae versus occidentem paulo longius evagantes *f*), sectioni huic adiungemus duo Persarum monumenta, a Tigri haud procul distenta.

CAPUT I.

Tak-Kesra.

Quatuor circiter milliaria Germanica meridiem versus a Bagdad (sub 33° 28′ lat. sec. Niebuhrum) *a*), in orientali Tigris ripa rudera inveniuntur celeberrimae quondam Ctesiphontis urbis, iisque oppositae, in occidentali fluvii ripa, Seleuciae ruinae deprehenduntur *b*). Ctesiphon peninsulam occupavit, Tigridis sinu effectam; reliquiae spatium occupant duorum fere milliariorum Germanicorum, et muris constant crassis et magnis, coctilibus compositis sole tostis, interiectis stratis arundineis, ad instar monumenti Agerkuf, de quo egerunt Ivesius *c*), Niebuhrus *d*) et Olivierus *e*). Aliorum quoque aedi-

f) Licet Media occidentem versus ad Zagrios portas tantum porrexerit, Persia tamen saepe non modo Tigrin usque, sed adeo ultra eum haud raro porrexit. Hinc venia mihi detur, spero, ultra fines Mediae constitutos migranti.

a) Niebuhr. II. Tab. XLI.

b) Kinneir. p. 253.

c) Ives. p. 298.

d) II. p. 305.

e) II. p. 431.

aedificiorum lateribus ſtructorum reliquiae paſſim obviae ſunt *f*). Inter ea vero longe prae ceteris omnibus conſpicuum, ſummaque attentione dignum eſt monumentum, quod quartam milliarii Germanici partem a Tigri diſtat, et nomen gerit *Tak-Kesra*. Multi peregrinatorum, cum monumentum ipſum, tum Cteſiphontis ruinas examini ſuo ſubiecerunt. Primus omnium, quod ſcio, in univerſum ruderum mentionem iniecit *Rauwolf g*). Monumenti iſtius ſaccinctam deſcriptionem dederunt *Della Valle h*) et *Otter i*). Bene meruit de aedificio illo cognoscendo *Iveſius k*), picturam enim eius exhibuit, ut videtur, ſatis bonam, tabula noſtra VI. expreſſam; in deſcribendo non aeque accuratus eſt ac *Beauchamp l*), cuius copioſam et accuratam deſcriptionem ex magna parte amplexus eſt *Olivier m*), qui tamen in reliquis urbis reliquiis deſcribendis ipſo Beauchampio accuratior eſt. Pauca praeſtitit *Kinneir n*).

Monumentum, tabula noſtra exhibitum, frontem refert aedificii verſus orientem ſpectantis, tam ad ſeptentrionem quam ad meridiem aliis aedificiis contigui. Cum ad occidentem adeo rudera inveniantur *o*), aedificium fuiſſe videtur forma quadrata, ita ſtructum, ut intermedium ſpatium cingeret. Conſtructum eſt lapidibus lateritiis quadratis, decem pollicum longitudine, duorum et dimidii craſſitie *p*), bitumine inter ſe iunctis. Tres ab hac parte orientali monumentum aditus habet, quorum primarius ingentem illum arcum refert; ab utroque eius latere fores ſunt minoris formae. Monumentum ſuperſtes latitudine occupat ducentos et ſeptuaginta pedes, altitudine octoginta ſex. Arcus profunditas centum et quadraginta octo pedum eſt, latitudo nonaginta ſeptem. Aedificium quatuor refert tabulata

f) OLIVIER II. p. 445. IACKSON, *journey from India towards England* p. 86.

g) LEONHARTI RAUWOLFEN *eigentliche beſchreibung der Reiſs, ſo er inn die Morgenländer volbracht*. ed. 1583. p. 211.

h) II. p. 261. *i*) II. p. 36.

k) p. 288.

l) *Iournal des Scavans*. 1790. p. 797. — Verſio deſcriptionis Beauchampii exſtat in libro Germanice ſcripto: ARCHENHOLZ *Minerva* III. p. 396.

m) II. p. 433. *n*) p. 254.

o) OLIVIER II. p. 434.

p) Teſte Iveſio (p. 289) unum pedem longi latique et tres pollices craſſi ſunt.

Tab. VI. pars 2.



Tak-Khosra

bulata, quorum singulum exhibet portarum et fenestrarum aperturas, non veras eas, sed quae speciei causa affuerunt. Iure igitur opineris non ab hac parte aedificium fuisse luce collustratum. Vulgo destinati fuisse opinantur illi sinus, in quibus statuae collocarentur; falsum fero hoc, huic enim usui haud respondissent, quum parum profundi sint, teste Beauchampio. Muri frontis crassitie sunt octodecim pedum; muri, quibus incumbit arcus, aequant viginti tres pedes. Columnae nonnullae ornant monumentum, male vero eae locatae sunt, ita ut superiores inferioribus haud insistant. Quum haec tum alia multa, quae plane repugnant bonae architecturae indoli, satis indicant insipientis architecti, aedificii plus quam fas est exornandi perversum studium *q*).

Quod situm huius monumenti attinet, persuasissimum mihi per Rennellii *r*) Mannerti *s*) aliorumque virorum doctorum labores constat, locum eum obtinere veteris Ctesiphontis. Quam quidem urbem, teste Ammiano Marcellino *t*), *Vardanes priscis temporibus instituit, posteaque rex Pacorus incolarum viribus amplificatam et moenibus Graeco indito nomine Persidis effecit specimen summum.* Teste Plinio *u*) *ad Seleuciam exhauriendam, Ctesiphontem iuxta tertium ab ea lapidem in Chalonitide condidere Parthi, quod nunc caput est regnorum.* Iuliani temporibus tam firma fuit, ut eius obsessio vanum videretur susceptum *v*). Quamquam certum mihi esse videtur, pertinuisse illud aedificium ad Ctesiphontem urbem, multis tamen causis inducor, quominus primis statim urbis conditae temporibus exstructum illud putem. De Vardane, qui, ut me monuit cl. Tychsenus, inde ab anno post Chr. n. 44 usque 47 regnavit, omnis fere silet historia, quod vix fieri potuisset, si huius aedificii auctor fuisset, cuius mentio fit apud scriptores. De Pacoro, Ctesiphontis restitutore, non multo magis innotuit, regnavit anno post Chr. vel 91 vel 64. Remotiora sunt ista tempora, quam quae conveniant huic monumento. Nec Romanis aedificium originem debere potest; quam-

q) *Iournal des Scavans* 1790. p. 799. OLIVIER II. p. 434.
r) RENNELL'S *geogr. syst.* p. 377 sqq. *s*) V. 403.
t) XXIII. c. 6. p. 295. ed. Ernesti. *u*) VI. 30.
v) AMMIANUS MARC. XXIV. c. 7. GIBBON *history* II. p. 447. GREGORIUS NAZ. *orat. II. in Iulian.* p. 303.

quamquam plures Romanorum duces Ctesiphonte potiti sunt, nullus tamen eorum tantum temporis ibi consumsit, ut tali operi exstruendo manum inponere potuisset, et omnino magis diruendae quam amplificandae et decorandae Ctesiphonti operam illi inpenderunt *w*). Accedit quod aedificii structura non talis est, qualis a Romanis solis prodire potuerit, licet haud negaverim, aliquid Romanae artis in eo esse conspicuum. Si Romanis eius origo deberetur, ad eadem tempora esset referendum, quibus perampla multa Syriae monumenta condita sunt; quibus tamen, quorum et nunc rudera supersunt, ut sit simile, multum abest. Quam enim in illis obviam habes columnarum copiam, hic desideras, lapides vero coctiles, quibus nostrum aedificium constructum est, Romanis istius temporis in aedificando haud erant recepti. Quae quum ita sint, ad Sassanidas monumenti originem refero. Id ipsum est palatium, si quid video, cuius mentionem iniicit Abulfeda *x*), apud quem sunt haec: *al Madajeno (seu urbs) pluralis, a singulari Madinah (seu urbs) Persice appellatur proprie Thaisafun (Ctesipho). Est ibi Iwan (seu palatium) Kosroes, cuius amplitudo est ab uno angulo ad alterum 95 ulnarum; quod tradit auctor fide dignus. Est al Madayen in ripa Tigridis orientali infra Bagdadum, a qua distat diaetam.* Et paulo post: *Sequentia leguntur in al Azizico: 'l Madayen est infra Bagdad ab austro. Urbs magna, in qua erat palatium Cosrois, erat ab oriente Tigridis, eius palatii altitudo erat octuaginta ulnarum. Nomen ei erat Rumijat ol Madajeni, seu Roma urbium; item Thaisafun.* Nomine Al Medain appellatur Ctesiphon simul cum urbe, in altera Tigris ripa Ctesiphonti opposita, quam *Seleuciam* habent plurimi, *Cochen* esse contendit Mannertus *y*). Abulfedae testimonium firmat Herbelotus *z*), qui autor est, Cosroen Anuscervanem (Khosru Nuschirvan) urbem Almedain amplificasse, eamque palatio exornasse, quod totius Orientis praestantissimum fuerit artis opus. Illum igitur Cosroen regum e dynastia Sassanidarum vigesimum, huiusque stirpis longe

w) Cf. DIO CASSIUS LXXV, c. 9. SPARTIAN. c. 16. HERODIAN. III. 30.

x) BÜSCHING'S *Magazin* IV. p. 259.

y) Teste Mannerto (V. p. 403.) Coche opposita erat Ctesiphonti, Seleucia vero in eadem quidem, qua Coche, occidentali sc. Tigris ripa, sita erat, spectabat vero a Coche ad septentrionem, et, quo tempore floruit Ctesiphon, iam interierat.

z) *Bibliotheque orient.* s. v. Madain.

longe potentissimum, qui inde ab anno 532 usque ad 579 regnavit, huius monumenti auctorem habeo. Fidem facit huic sententiae primum nomen aedificii ipsum, *Tak-Kesra* enim significat: *arcus vel palatium Cosrois a*). Conveniunt deinde historicorum testimonia; magnam vitae partem in Ctesiphonte urbe transegit, eamque multis novis et magnificis aedificiis ornavit *b*). Inprimis autem palatium ibi struxit, tam validum et firmum, ut Almansor Chalifa, qui illud dirui iusserat, ut ex eius lapidibus arcem sibi exstrueret in urbe Bagdad, a proposito desisteret, quod multum quidem temporis in illo destruendo erat consumtum, parum vero effectum. Id ipsum palatium restituit et splendidius etiam reddidit Cosroes Abruizes (Khosru Parviz) *c*). Licet hac ratione superbissimum redditum sit aedificium, in eius tamen magnificentia describenda et praedicanda omnem verosimilitatem excurrere Orientales, nemo est qui non videat *d*). — Cosroi optime, credo, convenit monumenti architecturae ratio; miram enim Romanae artis cum Persicae architecturae indole commistionem in illo opere agnosco. Totius monumenti structura, arcus ille inmensae magnitudinis, ornamentorum magna copia, Orientales indicant; Romanorum artem singulae nonnullae monumenti partes innuunt. In nullo quam Cosrois opere facilius hoc est explicatu. Saepe ille cum Romanis rem habuit; in Asia Minori Romanorum artis opera multa vidit. Inde fortasse Romanos artifices in Persiam secum duxit, iisque usus est in opere hoc exstruendo.

CAPUT II.

Kheser-Schirin.

Ad occidentalem ripam orientalis brachii Dialae fluvii, triginta milliaria Germanica septentrionem versus a Bagdado, quatuor et dimi-

a) HERBELOT, *biblioth. orient.*
b) *Allgemeine Weltgeschichte* IX. p. 695.
c) Ibid. p. 707.
d) Ibid. l. c.

dimidium a Khanaki (sub 34° 25′ latit et 45° 5′ longit. sec. Kinn. mappam) inveniuntur nominata rudera, quibus, post Chardinum *a*), Otterum *b*) et Olivierum *c*), paulo maiorem operam impendit Kinneirus *d*). Murus ex lapidibus caemento iunctis constructus, octo vel decem pedum altitudine, sex crassitie, spatium complectitur plus milliario ambitu, in cuius medio reliquiae fundamentorum vasti aedificii conspiciuntur; multae praeterea cryptae subterraneae hic inveniuntur. Parvo spatio inde distat aedificium figura quadrata, ad quod aditus patuit per quatuor portas; moenia habet magna, duodecim pedum crassitie, quadraginta altitudine; tectum delapsum est. Aliorum praeterea aedificiorum fragmenta ubicunque sparsa obviam habes. Parvus mons haud procul inde diffitus parimodo subterraneas cryptas conspiciendas offert, quibus quondam superstructa fuisse aedificia, aspectus docet.

Scriptores orientales referunt, Cosroen Abruizem palatium habuisse in urbe *Dastajerd*, splendidissimum illud multisque divitiis refertum *e*). Item Herbelotus testatur *f*), Cosroem urbem struxisse in honorem dilectissimae suae *Schirin* inter urbes *Holvan* et *Khanakin*. Duo habuit Cosroes palatia, celebratissima ambo, unum Ctesiphonte, alterum in urbe Dastajerd. Hoc alterum fortasse fuit, cui nomen dedit ab amasia sua *Schirin*, quodque postea in totam urbem transiit. Vox, qua nunc quoque rudera appellantur *g*), fama regionis incolarum, qui Cosroi haec monumenta tribuunt, et ruderum situs inter Holvan et Khanakin, qui convenit cum Herbeloti testimonio, verosimillimum saltem efficiunt, sitam fuisse hoc ipso loco Dastajerdam urbem, eiusque palatium, a Cosroe Abruize (qui regnavit inde ab a. p. Chr. n. 590 usque ad 628.) structum.

CAPUT

a) VIII. p. 219. *b*) I. p. 173.

c) III. p. 5. *d*) p. 305.

e) GIBBON, *history* IV. p. 505.

f) HERBELOT, *biblioth. orient.* s. v. Khosru ben Hormuz.

g) Khefer-Schirin significat palatium Schirinae.

CAPUT III.

Monumenta ad urbem Kirmanschah.

Praemittenda.

1. De monumentorum nomine et situ.

Urbs *Kirmanschah* (sub 34° 26′ lat.) *a*) sita est media via, quae ducit Bagdado Hamadanum, in spatiosa quadam planitie, quam mediam permeans fluvius *Karasu* fecundat *b*). Terminatur planities versus septentrionem et orientem praerupto quodam monte, qui sexcentarum orgyiarum altitudine, plus quatuor milliaribus Germanicis versus orientem excurrit *c*). Incipit enim spatio circiter unius et dimidiae horae ab urbe Kirmanschah, (ibique mons *Tak-Bostan* vulgo dicitur) et protendit se orientem versus, usque ad urbem *Schehernu*, quo loco intercluditur repente rupe altissima, quae meridiem versus excurrit. Quae quidem montis pars uti altissima, ita et praeceps viae inpendet; ex ipsius natura traxisse videtur nomen *Bissutun* h. e. *sine fulcris d*). Uterque locus, invicem a se dissitus plus tribus milliaribus, antiquitates spectandas praebet maxime memorabiles, quae licet hoc spatio distentae sint, communi nomine *antiquitatum urbis Kirmanschah* appellantur. Quum hinc, tum inde, quod nomen Bissutun, quo proprie *pars* tantum illius montis designatur, ad *totum illum montium tractum* refertur, factum fuisse videtur, ut saepe secum invicem confusae fuerint. Nos utriusque loci antiquitates bene discernentes, illa nominabimus *monumenta montis Tak-Bostan*, his vero nomen *monumentorum montis Bissutun* tribuemus. Et ab alia regione spectandas praebet antiquitates urbs Kirmanschah. Inter meridiem et occidentem ab urbe situs est mons *Harsin*, cui incisa est magna cisterna, multis anaglyphis ornata. Autor operis habetur Ferhadus *e*).

2.

a) KINNEIR. p. 138.
b) KINNEIR. p. 132.
c) OLIVIER. III. p. 20.
d) KINNEIR. p. 131.
e) *Fundgruben des Orients.* III. p. 94.

2. *Quid praestiterint peregrinatores in describendis illis monumentis?*

Della Valle f), quod equidem scio, primus horum monumentorum mentionem iniecit; aeque ac *Thevenot g)* et *Tavernier h)*, vidit tantum, quae sunt montis Bissutun. *Chardin i)* ea ratione de illis monumentis locutus est, ut dubium nobis relinquat, an ipse ea viderit nec ne. Omnes modo nominati peregrinatores tam leviter de iis egerunt, ut, si excipias fortasse, quod della Valle ad Semiramidem ea descendere faciebat, vix penitius ea percognoscendi studium excitasse videantur. Eo magis mirandum, quod eodem tempore (1673.), Italus quidam *Ambrogio Bembo*, antiquitatum cum montis Tak-Bostan, tum rupis Bissutun descriptionem componeret, quae, si pauca excipias, quae vitia sunt illius aetatis, penitiori artis cognitione parum inbutae, imo post recentissimas descriptiones, copiosissima est et diligentissima. Diu latuit Bembonis itinerarium, donec tandem cum nonnullis aliis in lucem id protraxit *Morelli k)*. Bembo itinerarium suum multis ornaverat picturis, a Franco-Gallo illo *Grelot*, cuius opera Chardinus quoque usus est, confectis; quarum quidem nullam prodire iussit Morellius; attamen e sex illis tabulis, quibus illustraverat Bembo sola Kirmanschahi monumenta, duas a Morellio sibi communicatas aeri incidi iussit *de Sacy l)*. Quae tabulae licet autorem artis Persarum in multis rebus rudem innuant, diligentiae tamen aperta prae se ferunt indicia. Descriptio harum antiquitatum, quam dedit *Otter m)*, ex alia parte falsa, ex alia vero manca est. Multo minoris momenti sunt, quae praestitit *Khojeh Abdulkerrim n)*; perfunctoria descriptio Orientalem indicat harum rerum sensu destitutum. *Ives o)* ex sermone, quem *Emanuelis* episcopus Bagdadi inter coenam de his monumentis habuit, descriptionem eorum suo itinerario inseruit. Sed promiscue

f) V. p. 332.
g) II. p. 132.
h) I. p 258.
i) VIII. p. 398.
k) *Dissertazione intorno ad alcuni viaggiatori eruditi Veneziani poco noti, pubblicata da Don* IACOPO MORELLI In Venezia 1803. p. 50.
l) *Memoires de l'institut royal, Classe d'hist. et de lit.* 1815. T. II. p. 174.
m) T. I. p. 184.
n) *The memoirs of* KHOJEH ABDULKURREEM, *by Gladwin.* Calcutta 1788. p. 97.
o) p 292.
p) *Histoire de l'acad. des inscr.* XXVII. p. 159.

miscue haec et sine ordine, memoria lapsus, ut videtur, profert. Episcopus ille idem esse videtur, ex cuius communicatione Dux Aurelianensis harum antiquitatum descriptionem cum viro celebertimo *Danville* communicavit, qui, explicatione addita, prodire eam fecit *p*). Cum Danvillii tum Ivesii descriptio ex uno eodemque fonte fluxisse videtur, nam utraque originem debebat episcopo cuidam Bagdadi urbis, nomine Emanuelis *q*), utraque descriptio, licet Danvillii multo copiosior et accuratior, nec tamen a vitiis libera, sit, in nonnullis rebus insigniter conspirat. Meliorem descriptionem dedit *Beauchamp r*), qui quamquam nonnulla in describendo praetermisit, eo inprimis optime de his monumentis meruit, quod inscriptiones depinxit. *Ferrieres Sauveboeuf s*) suspicionem mihi movet, quod nunquam illa monumenta vidit, alias enim mirandum foret, quod iste homo non dubitaverit, talia mendacia literis mandare. *Olivier t*) non solum amplam descriptionem exhibuit, sed picturas quoque addidit, quae quidem, licet minoris formae et parum accuratae sint, generalem saltem imaginem praebent. Primus est Olivierus, qui (excepto Bembone) monumenta montis Bissutun, post paucas illas Tavernieri et Thevenoti notitias descripsit. Cum laude iam nominandus vir meritissimus *Rousseau u*), qui (anno 1807.) sola monumenta *Tak-Bostan* vidit. Eius descriptio autorem prodit diligentem et accuratum, historiae vero et artis cognitionis fere rudem *v*). Bene fecit vir, quod iudicium suum de ceteris monumentorum

q) Cui quidem nomini Danvillius addit: *a St. Alberto.*

r) *Relation d'un voyage en Perse, fait en* 1787 *par* MR. DE BEAUCHAMP, *Vicaire-Général de Babylone et Correspondant de l'Academie des Sciences.* Exstat in libro: *Iournal des Sçavans*, 1790. *Novembre. p* 726. Huius itinerarii versionem Germanicam habes in: ARCHENHOLZ *Minerva* 1792. p. 56. Ex Beauchampii itinerario mss., et ex epistola, quam super his monumentis comiti CHOISEUL GOUFFIER scripsit, descriptionem composuit DE SACY (*Memoires sur div. ant p.* 224.). Epistolam illam postea totam inprimi curavit: *Memoires de l'instit. roy. p.* 238.

s) *Memoires historiques etc.* II. p. 48. *t*) III. p. 13. sqq.

u) *Extrait de l'Itinéraire d'un voyage en Perse par la voie de Bagdad, par* M. ROUSSEAU, *Consul-Général de France à Halep, le* 6. *Octobre* 1807. exstat in libro: *Fundgruben des Orients* III. p. 85. — et, sine nomine autoris: *Magasin encyclopedique, redigé par* MILLIN. 1813. T. II. Vol CIV. p. 376.

v) Ut singula tempora permiscet, ita et mythica cum historicis. Figurae, illo teste,

torum descriptionibus addit. Permultum facit ad antiquitates nostras cognoscendas *Kinneir w*), eius descriptio monumentorum Tak-Bostan praeferenda est omnibus reliquis; monti Bissutun non parem diligentiam inpendit. Optime meruit *Malcolm x*), qui antiquitates illas quinque tabulis aeneis incidi curavit, in quibus, quamquam diligenter pictis et incisis, si interdum animadvertas, quae ex indole artis Persarum ita esse nequeunt, culpa est pessimae conditionis, qua monumenta illa iam inveniuntur. Quum enim eorum omnes fere partes temporis iniuria perquam exesae sint, facile perperam possunt accipi, inprimis ab iis, qui non intimam artis Persarum cognitionem tenent. Errores ex artis inperitia orti omnium, de quibus egimus, delineatorum et descriptorum, ne uno quidem excepto, communes sunt. Kinneiro et Bembone praecipue ducibus, descriptionem instituamus, ita tamen ut in rebus maioris momenti ceterorum peregrinatorum respectum habeamus.

I. Monumenta montis Tak-Bostan.

A. Descriptio.

Post unius et dimidiae horae iter inde ab urbe Kirmanschah orientem versus, montem illum deprehendis, cui nomen dederunt Persae *Tak-Bostan*, *Tak-Rustam* et *Tak-Khosru y*). Priusquam ad montem ipsum accedis, transeas necesse est rivum, cui pons olim superstructus fuit, e regione antri maioris *z*). Teste Oliviero *a*), paucos passus ab hoc monte duo fontes oriuntur, circa quos lapides

teste, repraesentant Cosroem, Saporem et *Rustamum*. Vestitu similes sunt imagines figuris in monumentis Tschil-Minar et Nackschi-Rustam obviis (Magas. encycl. p. 394.). Quae illa est temporum commistio, quae rerum confusio.

w) p. 132. *x*) *History of Persia* I. p. 257.

y) *Mons horti*, *mons Rustami*, *mons Cosrois*, ut putat *de Sacyus*, (*memoires* p. 229.) et *Danvillius*, (*hist. de l'acad.* XXVII. p. 165.). Alii vero vocabulum *Tak* significare contendunt: *opus aliquod in arcus formam redactum*. Quum saepius utantur scriptores hoc vocabulo, ubi de monte cogitandum non est, ut e. c. *Tak-Kesra* arcus Cosrois, magis haec altera derivatio placet, qua referendum videtur vocabulum ad ipsius *antri curvaturam*; hinc vertit *Otterus* (I. p. 184.) *voute du jardin*.

z) MORELLI *dissertazione* p. 67. *a*) III. p. 15.


Tab. VII. p. III.
Taki-Bostân

lapides nonnulli quadrata forma inveniuntur, excipiendae aquae haud dubie olim destinati. Fontes illi, in patentem campum excurrentes et stagnantes, regionem circa, ex alia parte fecundam, ex alia paludosam efficiunt. Solum e vicinio fontium caesis lapidibus stratum est. Aliaque fragmenta lapidea passim obvia sunt *b*). — Inprimis vero sculpturae opera summa admiratione digna sunt. De iis iam accuratius:

1. Antrum maioris formae.

Primum se spectandum offert antrum, e monte, aequata rupis superficie, excisum, triginta pedum altitudine, pari latitudine, eademque profunditate *c*). In exteriori huius antri superiori eaque media parte excisa conspicitur falcata luna, cui ad utrumque latus, supra tectum conclavis, duae accumbunt figurae alatae, feminini sexus, magnitudine vulgarem hominis formam longe superantes, singularum corporis partium concinnitate bene servata. Utraque figura, fluitante veste indúta, similis est aliquatenus Graecorum Geniis. Manu dextra tenet annulum, laeva calicem vel simile quid *d*). Super his figuris, si fas est ex lapidis forma aliquid colligere, fuisse videntur vel alia anaglypha vel inscriptiones, temporis diuturnitate iam vero deletae *e*). Interior huius antri paries, e regione introitus, anaglypha exhibet, quae tanto prostant; ut figurae exsculptae a sola posteriori parte rupi adhaereant. Pars huius parietis inferior spectandam praebet statuam equestrem, quindecim fere pedum altitudine *f*). Eques thorace indutus, in dextro humero lanceam habet, laeva manu scutum tenet. Caput eius tiara globosa ornat. Equus, cui insidet, loricatus est, ac praeterea multo modo ornatus *g*). Duae

b) OLIVIER III. p. 18.

c) Diversae a diversis mensurae afferuntur. Kinneiri mensura, ex qua 50 vel 60. p. alt. 20. p. prof. et 24. lat. est, a veritate abhorrere videtur; repugnat enim tam ceterorum testimoniis, quam Olivieri Malcolmiique effigiebus. Latitudinis enim cum altitudine consensus, qui in tabulis aeneis, obvius est, perit in Kinneiri mensuris. Amplexus sum Olivieri mensuram, quacum conveniunt plurimi ceterorum descriptorum.

d) KINNEIR. p. 132. *e*) KINNEIR. p. 133.

f) Otterus, quo teste, eques superiorem huius parietis partem occupat, erravit, I. p. 185.

g) BEMBO, *Dissertaz.* p. 68, OLIVIER III. p. 15.

Duae columnae e pariete excisae, ita a se invicem diffitae sunt, ut equus intermedium spatium corporis magnitudine fere aequet. Pars huius parietis superior tres exhibet figuras, quae reliquum spatium camerae occupant. Quum teste Kinneiro *h*) ita laesae sint tempestatis iniuria, ut nihil nisi exteriora lineamenta agnosci possint, vix mirandum est, quod in tot diversa commenta aberraverint descriptores. Tabulis aeri incisis accuratius aspectis, sic se habere videntur effigies. Figura primaria, media et altitudine maxima, regiam speciem prae se fert, tiara ornata est globosa *i*). Dextra annulum tenet cum figura ei ad laevam. Tertia figura mediae ad dextram, quam pro femina agnoscunt peregrinatores, quaeque, ut fabulatur Kinneirus, diadema manu tenet, quod capiti figurae mediae imponere studet, vir mihi esse videtur et quidem pedissequus, qui regis capiti muscarium supertendit *k*). Inter mediam figuram et quae ei a dextra est, pari altitudine ac figurarum capita, inscriptio est, cuius characteres quamquam valde exesi, similes tamen apparent inscriptionibus in Sassanidarum numis obviis *l*). — Antri effigiem ex aere Malcolmii sistit tabula nostra VII. — Parietes conclavis, intranti a laeva et dextra, eo glyphicae artis genere, quod dicitur *ectypum*, exhibitas referunt venationes, cum navales, tum terrestres. Innumera est figurarum admirabili arte *m*) rupi incisarum copia

h) p. 132.

i) *Rousseau* (*Magas. encyclop.* 104. p. 389.) coronam Kaianiam in Sassanidarum tiara false agnoscit.

k) Eandem effigiem vide apud Morierum (ad p. 137.) et De Bruynium (T. IV. p. 364.).

l) *Magas. encyclop.* 104. p. 390.

m) "There are here a vast number of figures, all executed with wonderful precision and judgment that they would not, perhaps, have disgraced the finest artists of Greece and Rome", *Kinneir.* p. 134. Si modum non excurrit Kinneirus in arte, qua exsculptae sunt figurae, praedicanda, mirandum est, qui fieri potuit, ut pro ursis haberet figuras, quae secundum ceterorum scriptorum testimonia et tabulas aeneas apri procul dubio sunt. Attamen aliquid veri laudem illam in se continere, testimonio sunt et ceteri descriptores. Ut mihi vero res videtur, non tam perfectior ars, sed artis genus inprimis causa fuit huius laudis. Quum enim hae figurae essent incisae (*in Alto Relievo*) ceterae vero excisae (*in Relievo*), factum est, ut hae non aeque ac illae tempestatis iniuriam experirentur, ideoque diligentioris artis speciem prae se ferrent; illae vero temporis diuturnitate exesae, rudiori manu exsculptae apparerent.

copia. In universum nonnullas figuras et quidem primarias describere sufficiat. Paries intranti a laeva repraesentat venationem ex parte navalem. Quinque hic sunt naviculae, quarum quatuor mediam fere parietis partem obtinent. In duabus bini homines conspicui sunt ceteris supereminentes; primariae hae esse videntur totius anaglyphi figurae, et reges haud dubie repraesentant. Tres ceterae scaphae obsessae sunt feminis musicen exercentibus, scilicet tibicinis et fidicinis. Regiae figurae a laeva magna copia elephantorum obvia est, eorum alios et ab inferiori parte et ad dextram manum conspicis. In superiori parietis parte aprorum permagna caterva super paludosum et arundinosum solum persequentium venatorum tela fugit. In dextra huius parietis parte hominum alii apros mactant, alii elephantis eos inponunt et praedam deducunt. — Alterum huius conclavis latus, intranti ad dextram, venationem exhibet terrestrem, cervorum scilicet et leporum. Primaria illa figura, rex scilicet, hic iterum ceteris longe supereminet. Equo insidet, humeros arcu circumdatus; pedissequus umbraculum ei superintendit; sex alii homines honoris causa, ut videtur, comitantur regem, qui dextra clavam tenet, laevam gladio inponit, quod a latere ei dependet. Ante regiam figuram in suggestu aliquo homines sedent musicen exercentes. Inferior tabulae pars cervorum magnam copiam, a venatoribus equis insidentibus agitatam, exhibet. Cervi nonnulli interfecti camelis inponuntur et praeda deducuntur *n*).

2. *Antrum minoris formae.*

Duodecim passus a priori antro remota secunda invenitur crypta, minori ambitu quam illud *o*). Paries huius antri posticus, e regione introitus, duas excisas refert figuras, iuxta se sitas, humana

n) Bembo, *Morelli dissertat.* p. 69. 70. Kinneir. p. 134, 35. Olivier. III. p. 16. 17. *Magef. encyclop.* Vol. 104. p. 390. 391.* Anaglypha sistunt, praeter *Olivieri* picturam satis leviter perfectam (pl. 39. fg. 23.), tabulae *Malcolmii* (ad I. p. 258.).

o) *Kinneirus*, qui eam eiusdem formae et ambitus habet, ac illam alterum cryptam (p. 135.), solum Emanuelem habet consentientem (*Histoire de l'acad. des inscript.* XXVII. p. 161.); ceteri omnes refragantur. Ex *Oeseri* (I. p. 185.) opinione dimidium tantum antri maioris ambitu aequat.

na forma paulo maiores, quas pro feminis false accipit Olivierus *p*), pro viris recte Kinneirus *q*). Vestitu similes sunt figuris supra descriptis. Quamquam temporis iniuriam valde expertae sunt, cidarin tamen globosam et capillum effusum (nec tamen Kinneiri *r*) capillamentum) bene agnoscis. Gladiam manibus tenent et in terra defigunt. Torques in pectus usque demissus figurarum collum ornat. In superiori anaglyphi parte utrique figurae addita est inscriptio, satis bene conservata, cuius descriptionem debemus Bemboni, Beauchampio et Malcolmio.

3. *Monumenta reliqua hoc loco obvia.*

Haud procul ab antro secundo anaglyphum invenitur tres homines forma fere vulgari exhibens. Duo qui annulum tenent regia specie decori sunt; eorum alter, teste Kinneiro, pyramidali alter globosa cidari ornatus est (puta Sassanidarum tiaras, alteram ex inferiori parte rotundam, alteram trifidam). Insistunt homini sub eorum pedibus prostrato. Tertia figura, ex Kinneiri sententia, sceptrum tenet, insistit stellae, caput habet gloria, quam dicunt, circumdatum *s*). Valde vereor ne in hac figura describenda et depingenda erraverint peregrinatores; nam non primaria haec est totius tabulae figura, sed, ni fallor, pedissequum refert *t*).

Ab hoc loco paululum procedenti indicia tertii antri obvia sunt, in cuius superiori parte hominis caput e rupe excisum conspicitur. Si oculorum eius persequeris directionem, in medio praeterfluente rivo feminam conspicis lavantem, ad humeros usque aqua mersam. Testes sunt huius rei Ivesius *u*) et Emanueles *v*); ceteri scriptores de ea nihil habent.

Audiverat ceterum ab incolis, ut videtur, Rousseau, vestigia canalis e rupe excisi adhuc exstare, qui inde a monte Bissutun usque

p) III. p. 17. *q*) p. 135.

r) l. c.

s) Kinneir. p. 136. et *Malcolmi* tabula (I. p. 258.).

t) Illud, quod de alio anaglypho testatur Kinneirus (p. 133.): *nothing but the general outline can be distinguished*, haud dubie et de hac effigie valet, magis quam illud tempestatis iniuriae obnoxia.

u) p. 292.

v) *Hist. de l'academie* XXVII. p. 161.

que ad vicum *Parow* se protenderet. Opus esse contendebatur clarissimi Ferhadi, eiusdem cui et cetera monumenta urbis Kirmanschah vulgo tribuuntur *w*).

Supra illis antris modo descriptis scala in montis latere excisa invenitur multorum graduum, qua summum ascenditur montis iugum, cuius apex arte aequatus videtur *x*).

B. Explicatio.

1. An Semiramidis hic obvia sint indicia?

Exstat locus apud Diodorum Siculum *a*), quo refertur: Semiramidem, quum in Mediam pervenisset ad montem Bagistanum, eius radicibus abrasis, suam imaginem insculpsisse, sibique centum stipatores adiunxisse et literis Syris rupi inscripsisse, quod Semiramis per sarcinas iumentorum congestas in iugum usque evasisset. Fidem huic rei addere videtur Isidorus Characenus *b*), quo teste ad urbem Baptanam, prope montem sitam, Semiramidis statua et columna est. Haec ipsa monumenta in antiquitatibus montis Tak-Bostan reperisse

w) *Magaz. encyclop.* Vol. 104. p. 392.

x) MORELLI *dissertazione.* p. 67.

a) II. 13. Ἡ δὲ Σεμίραμις, ἐπειδὴ τοῖς ἔργοις ἐπέθηκε τέρας, ἀνέζευξεν ἐπὶ Μηδίας μετὰ πολλῆς δυνάμεως· καταντήσασα δὲ πρὸς ὄρος τὸ καλούμενον Βαγίσανον, πλησίον αὐτῆ κατεστρατοπέδευσε, καὶ κατεσκεύασε παράδεισον, ὃς τὸν μὲν περίμετρον ἦν δώδεκα σταδίων ἐν πεδίῳ κείμενος. εἶχε δὲ πηγὴν μεγάλην, ἐξ ἧς παραδεύεσθαι συνέβαινε τὸ φυτέργιον. τὸ δὲ Βαγίσανον ὄρος, ἔστι μὲν ἱερὸν Διός, ἐκ δὲ τῆ παρὰ τὸν παράδεισον μέρος ἀποτομάδας ἔχει πέτρας εἰς ὕψος ἀνατεινούσας σταδία ἑπτακαίδεκα. οὗ τὸ κατώτατον μέρος καταξύσασα, τὴν ἰδίαν ἐνεχάραξεν εἰκόνα, δορυφόρους αὐτῆ παραστήσασα ἑκατόν. ἐπέγραψε δὲ καὶ Συρίοις γράμμασιν εἰς τὴν πέτραν ὅτι Σεμίραμις τοῖς σάγμασι τοῖς τῶν ἀκολουθούντων ὑποζυγίων ἀπὸ τῆ πεδίου χώσασα τὸν προειρημένον κρημνὸν, διὰ τούτων εἰς τὴν ἀκρώρειαν προσανέβη.

b) *Geographi Min. ed. Hudson* II p. 6. Ἐντεῦθεν Μηδία ἥτις κατέχει σχοίνους, κβ'. Ἡ ἀρχὴ αὐτῶν, καὶ χώρα Κάρινα, ἐν ᾗ κῶμαι ε'. ἐν αἷς σταθμὸς, πόλις δὲ ὀδεμία. Ἐντεῦθεν Καμβαδηνὴ, ἥτις κατέχει σχοίνους λα', ἐν ᾗ κῶμαι ε'· ἐν αἷς σταθμὸς, πόλις δὲ Βάπτανα ἐπ' ὄρους κειμένη· ἔνθα Σεμιράμιδος ἄγαλμα καὶ στήλη. Ἐντεῦθεν ἡ Μηδία ἡ ἄνω σχοίνοι λη', καὶ ἄρχεται εὐθὺς πόλις Κογκαβάρ.

risse sibi visi sunt Danvillius *c*) et Mannertus *d*). Iam olim Della-Valla *e*) et Otterus *f*) Semiramidi tribuerunt monumenta *montis Bissutun*, quae quamquam multo absunt, ut Semiramidis possint haberi, magis tamen quadrant cum Diodori descriptione, quam quae in monte *Tak-Bostan* inveniuntur. Danvillii sententia non ea quidem est, ut perfecta ea a Semiramide putet; sed, quum fabulosae illi feminae tribuantur, quae ad aliam potius magis historicam personam pertinent, alii fortasse aeque clarae originem ea debere putat *g*). Omnino haec duo tantum contendere vult Danvillius, primum monumenta Tak-Bostan longe superare Sassanidarum tempora, deinde descripta ea esse locis supra allatis Diodori et Isidori *h*). Quod ad regionis situm attinet, firme mihi persuasum habeo, montem illum Diodori *Bagistanum* nullum alium esse, quam qui iam dicitur *Bissutun* latiori sensu; nominis similitudo cum Tak-Bostan huiusque vocabuli significatio, regionis et rupis apud Diodorum descriptio, quae plane quadrat cum peregrinatorum narrationibus, dubitationi locum non relinquunt *i*). Nihilo secius tamen tantum absum, ut Semiramidis habeam monumenta montis Tak-Bostan, ut etiam ex ipsa Diodori descriptione clare apparere mihi videatur, nostra eius non esse; ubi enim est Semiramidis effigies, ubi sunt centum stipatores, ubi characteres Syri? Maximi ambitus est mons Bissutun; si revera exstiterunt illa Semiramidis opera, nec multorum saeculorum decursus, ut probabile, omne eorum vestigium prorsus delevit, alio huius montis loco ea quaere. Sed, ut dicam quod sentio, erravit Diodorus, et ita fortasse ortus est eius error: tribuebantur Semiramidi multa monumenta, quorum verus auctor, quum ad remotissima tempora recurreret eorum origo, oblivioni datus erat. Et de monumentis montis Bissutun, sensu arctiori *k*), vel audiverat vel legerat quidquam Diodorus; quum vero eius tempora quinque fere saeculis praecederent, eorumque significatio iam in fabulas abiisset *l*), vulga-

c) *Histoire de l'acad. des inscr.* XXVII. p. 159.

d) V. p. 166.

e) V. p. 332.

f) I. p. 188.

g) *Hist. de l'acad.* XXVII. p. 164.

h) Ibid. p. 166.

i) Cf. DE SACY. p. 228.

k) Quo scilicet loco, ut infra videbimus, Achaemenidarum monumenta obviam habes.

l) In Oriente nihil hoc miri habet; vix quum quartum saeculum expleviſſent monumen-

vulgarem famam secutus, monumenta ei personae tribuit, cui multa miranda accensebantur. Sed ne immoremur his diutius, inscriptiones quavis re certius ostendent, Danvillii sententiam aeque, falsam esse ac eam, quam affert, undenam nescio, Kinneirus *m*), ex qua, qui statim post Alexandrum rerum Persicarum potiti sunt, antiquitatum montis Tak-Bostan autores habentur.

2. Orientalium circa nostra monumenta testimonia.

Quum omnibus Graecis Latinisque testimoniis prorsus destituti simus, videamus quid Orientales referant. Primus monumentorum mentionem iniicit *Tabari*, quem patrem historicorum Orientalium appellat Ousely *n*). Refert ille, Ferhadum deperiisse Schirinam, eiusque causa circumrasisse montem Bissutun, ita ut ne centum quidem homines tollere potuissent unum illorum lapidum, quos ille absciderit. *Nizami* poeta *o*) in libro suo, cui argumentum est: amores Cosrois et Schirinae, satis copiose de laboribus Ferhadi et sculpturis montis Bissutun agit *p*). Quam quidem descriptionem, quum poetae sit, ideoque quoad historiam levioris momenti, omittimus. Antiquitate proximus est *Alcazvini q*), Orientalium nobis longe gravissimus. Ipse monumenta vidit et annales Persicos laudat. Scripsit opus cui titulus est: *Adschaib al Maklukat*, h. e. *Mirabilia creaturarum*. Ex hoc opere capitis, quod de monte Bissutun agit, epitomen dedit Ousely *r*). Eundem locum ex duobus manuscriptis Gothanis, altero cum altero collato, descriptum et explicatum summa liberalitate nobiscum communicavit vir amicissimus Möllerus

numenta Tak-Bostan, eorum originem fabuloso Ferhado tribuit Persarum historia, v. infra.

m) p. 136.

n) Natus est *Tabari* a. h. 224. p. Chr. 838. cf. OUSELY *oriental Collections* I. p. 213.

o) Qui floruit sec. XII.

p) Quae qui legere cupit adeat librum Germanice scriptum, cui titulus: *Schirin, ein Persisches romantisches Gedicht nach morgenländischen Quellen*. 1809, cuius autor Hammerus habetur.

q) *Zakaria ben Muhamed ben Mahmud al Kemuny al Cazvini* obiit d. VII. mensis Moharram a. Arab. 682, h. e d. VI. Apr. 1283. p. Chr., ex auctoritate *Abulmahasini* (quocum fere convenit *Abulfeda*), cf. DE SACY, *Chrestom.* III. p. 505.

r) *Oriental Collections* I. p. 214.

lerus. Quum multa contineat hic locus, quae apud Ouſelyum non inveniuntur, totum eum, excepta perlonga Schirinae hiſtoria, inprimi curavi *s*).

Alcazvini ita habet *t*): *Mons Biſotun inter Holvân* (*Cod. B. addit: et Hamadân*) *ita praeceps aſſurgit, ut eius faſtigium conſcendere non poſſis; a ſummo apice usque ad radices laevis eſt, tamquam caelo ſcalptus; ſpatio trium dierum iter ſuperat. In annalibus Perſicis refertur, Kosri Apervizz deſponſam habuiſſe Schirin, eique praeclaram arcem exſtruxiſſe, quae ad noſtra usque tempora exſtat, edito quodam loco. Solum arcis ſalſuginoſum eſt, quare nec ſementis fit circa eam. Lac recens adamabat* (*Schirin*), *quare grex duarum paraſangarum ſpatio ab arce*

s) Loci, qui ſequuntur duo, poſt praemium reportatum commentationi additi ſunt.

t) جبل بيستون بين حلوان (وهمدان .Cod, B) وهو عال شامخ
لا ترتقي ذروته ومن اعلاه الي اسفله املس كانه منحوت
وعرضه مسيرة ثلاثة ايام وكثير ❁ ذاكر في تواريخ العجم
ان خطب كسري ابرويز شيرين لما بنوا لها قصرها المشهور وهو
موجود الي زماننا في موضع عال وارضها ارض سبخة لا زرع
حواليها وكانت تحب اللبن الحليب والغنم كانت بعيدة عن
القصر بمقدار فرسخين فامرت (*) ان يبني حايط بمقدار
فرسخين ويجعل علي ذلك الحايط ساقية مسحوبة من
الحجر ويعطي بالواح حجرية فاذا صبوا فيها اللبن من
مكان الغنم جا اللبن الي القصر طريا حليبا فطلبوا حجارا
يتولي ذلك فكلمته شيرين وامرته بذلك ووعدته الانعام
واسم هذا الرجل فرهاد . . .
(ومقدار)

(*) Cod. B. جدولا حجريا canalem lapideum a pascuo gregis fui ad arcem.

arce pascebat. Quo duarum parasangarum spatio exstrui iussit murum, eique inponi canalem e lapidibus confectum, in muri lapidibus caesis ductum, ita ut, si in loco gregis lac rivo infunderetur, recens perveniret ad arcem. Ad quam rem exsequendam quum lapicida quaesitus esset, Schirin sermonem cum eo habuit, eique hoc demandavit et praemium promisit. Nomen huius viri fuit Ferhâd.

Eorum quae iam sequuntur, epitomen tantum exhibemus, quum parum faciant ad rem nostram:

> Ferhadus, in opere illo exsequendo occupatus, vidit Schirinam, eamque deperit. Cosroes, re audita, amoris stimulo vehementer percitus, quum nec interimere vellet, nec carceribus claudere Ferhadum sceleris insontem, innocuum saltem eum reddere studuit. Suadentibus amicis, mandavit ei viam aperire per montem Bissutun, huiusque laboris finiti praemium promisit Schirinam. Prudenter hoc excogitatum putabat Cosroes, persuasus, Ferhadum in opere illo perficiendo periturum esse. Sed secus res cecidit; ad finem enim quum mox perduxisset Ferhadus negotium demandatum, novas excogitare fraudes coactum se vidit Cosroes; simulata Schirinae morte Ferhadum fallit, qui desperatione amens mortem iam sibi consciscit.

Post haec sequuntur apud Cazvinium:

Aperuit ille montis spatium ad altitudinem teli iactus, quae quidem monumenta ad nostra usque tempora superesse, non est dubium. Et ad radices montis Bisotun (Addit Codex B: inter Holvân et Karmisin) coenaculi forma e monte excisa est, in eaque media effigies Kosri Aberviz equo

(ومقدار) فتحه من الجبل علوه سهم وتلك الاثار باقية الي
الآن لا ريب فيها وفي لحف جبل بيستون (بين حلوان وقرميسين
شبه ايوان محفور من الجبل وفي هذا الايوان (addit Cod. B.
صورة كسري ابرويز علي فرسه شبديز في وسط الايوان عليه درع
وبالغ في تمبغه حتي يبين المسمرة في الزرد وفي حيطان الايوان
صورة شيرين وحولها وعليه صورة كثيرة من رجال ونسا اتباع
كسري وشيرين وقد بولغ في تجويد هذه الصورة حتي لا يشك
من

equo suo nomine Schebdiz insidentis (*). *Indutus est lorica, cuius ornatui multa ars impensa est, ita ut compages annulorum appareat. In coenaculi pariete exsculpta est Schirin simul cum suis famulis; super ea multorum virorum et feminarum effigies, quae versus Kosri et Schirin se inclinant. Tanta arte elaborata est haec figura, ut eas adspicientes haud dubites, mobiles eas esse. Prope Kosri vir est, habitu agentis* (**) *cuius capiti pileus impositus est; hic praecinctus medium corpus, manu tenet palam ac si solum refringeret; aqua sub eius pedibus effunditur. Nunc autem audio huius viri imaginem non amplius superesse.*

Inprimis quoque memorabile est, quod de monte Bissutun narrat *Mohammed Al-Dscherkassi* ||) in libro suo cui titulus; *Odor florum in mirabili-*

من نظر اليها انها متحركة وبين يدي كسري رجل في زي
فاعل علي راسه قلنسوه وهو مشدود الوسط بيده مسحاة يحفر
الارض والما يخرج من تحت رجله وسمعت الآن ان تمثال هذا
الرجل ما بقي ✡

(*) *Cod. B haec ita narrat:* Dicit Masar fil. Mohalhel, distat circiter parasangam a Karmisin. Coenaculo huic, quod e monte excisum est, insunt imagines plures virorum et mulierum. In medio est figura equi, cui insidet homo. Haec est imago Abervizi super equo suo Schebdiz, e saxo exsculpta. Gestat ille loricam, quasi e ferro esset, et apparet (distinguitur) textura annulorum clavis compactorum. Tanta arte elaborata est ut non dubitet, qui adspiciat, eum moveri etc.

Addit: Profectus aliquando huc rex quidam divertit et bibit, et cum placerent ei imagines advocavit homines et crocum, quo faciem regis et Schebdiz (equi) illevit. Huc spectat carmen ignoti poetae:

Parum abfuit quin mussitaret Schebdiz
cum imbueretur facies eius croco.
et sollicciti fuerunt Chosroes et Schebdiz
cum sene, antistite magorum,
ob homines qui eos illinebant pariter,
comparuerunt in vestibus atratis.

Propositum mihi est enarrare hoc coenaculum et imagines descriptas in commemorandis *mirabilibus regionum*, sub Karmisin, si Deus permiserit. — Loci huius versionem debeo clarissimo Tychsenio.

(**) Cod. B. قاعد *sedentis*, recte. T.

||) Mohammed Ben Ahmed Ben Aijas Al-Hanefi Al-Dscherkassi محمد بن احمد بن اياس الحنفي الجركسي ✡

rabilibus regionum v). Post ipsius montis situs et naturae descriptionem addit autor: *Inter mirabilia huius montis est, quod ex eius rupe excisa est effigies Aberwiz regis Persiae, thorace induti et in capite coronam gestantis; equo insidet ac si loqueretur. Regionis incolae ad hanc effigiem quotidie se prosternunt, eamque venerantur w)*.

Hamdulla x) quoque in opere suo *Nuzhat - Alcolûb* nonnulla continet ad rem nostram pertinentia. "In regione prope urbem Kirmanschah invenitur conclave *y)* Schirinae (mss. B: *Schebdizae*), autore Cosroe Abruize e rupe excisum. Hortum quoque duarum parasangarum longitudine et pari latitudine idem ille Cosroes constituit. Una eius pars arbustum efficiebat, ita ut regionum calidarum aeque ac frigidarum ibi invenires fructus; altera horti pars prato fuit destinata, peramplo, nutriendis feris dicato *z)*." Idem autor, alio libri loco, de eodem monumento haec habet: "antrum Schirinae, ubi spectas effigies Cosrois et Schirinae e rupe excisas *a)*." Idem alio loco: "Ad radices montis, supra fontem, qui effun-

v) نشق الازهار في عجايب الاقطار

w) ومن العجايب ان في هذا الجبل في خايطه صوروا صورة ابرويز ملك الفرس وعليه درعة وعلي راسه التاج ❁ وهو علي فرسة كانه ينطق واهل تلك الناحية يسجدون لهذه الصورة كل يوم ويعظمونها ❁

Et hunc locum e cod. Gothano excerptum benigniter mecum communicavit doctiss. Möller.

x) *Hamdulla Ben Abubecr Al-Mustavfi Al-Cazvini* obiit a. 1449. p. Chr. Loca, quae ad rem nostram faciunt, ex libro mss. Parisiensi exhibet DE SACY *Memoires sur div. ant.* p. 234.

y) Libri mss. utuntur vocabulo *sofa*, quod quidem sensu latiori ad antrum referendum est, in quo figurae illae inveniuntur. Cf. DE SACY p. 235.

z) DE SACY. l. c. p. 235.

a) l. c. p. 236. Cf. ROUSSEAU, qui (*the flowers of Persian literature* p. 75.) eundem locum exhibet.

effunditur rupi, antrum e saxo excisum est, cuius indicia et nunc supersunt. Itemque in extrema montis parte, sex parasangas inde ab hoc loco, aliud conclave invenitur, multo minoris formae, super duobus fontibus. Appellatur sofa Schebdizae. Cosrois, Schirinae, Rustami, Isfendiaris aliorumque figurae maxima arte *b*) excisae hic inveniuntur."

Cum his historicorum testimoniis convenit incolarum de monumentis nostris fama. Ferhadus scilicet, ut narrant, ea exegit auctore Cosroe Abruize; anaglypha effigies sunt Cosrois, Schirinae et Saporis *c*).

Quaeritur iam quae fides omnibus his debeatur? Quod ad incolarum *famam* attinet, ut ab hac incipiamus, eam ab causam haud prorsus reiicienda videtur, quod ex ea Sassanidarum aliquis monumentorum autor habetur; nisi enim historico quodam fundamento fulciretur haec fama, eique aliquid saltem veri subesset, potius ad fabulosa tempora, ut acute habet de Sacyus *d*), ea retulissent, eorumque originem, ut in omnibus fere ceteris monumentis antiquis, Schemschidi, Gustaspi, Isfendiari aliisque tribuissent. — Quod pertinet ad *historicos*, pessimi foret critici, omnibus quae illi de nostris monumentis referunt, fidem habere; inconsulte tamen ageret, qui omnia illa pro fabulosis et reiectaneis, quibus nihil omnino veri subsit, haberet. Monumenta nostra non fuerunt causa, ex qua primum originem duxerunt nugae illae, excultae tantum et efformatae sunt per ea. De Cosroe, potentissimo e stirpe Sassanidarum rege, Persarum annales multa fortia et praeclara referebant, quae vero cum per ipsos historicos, tum per famam illam mox in inmensum et fabulas abierunt. Amplificandae urbi Kirmanschah, exornandaeque eius regioni, teste Hamdulla, ipse Cosroes curam inpendit. Seriores scriptores, hoc in universum bene memoria tenentes, accurata vero historiae cognitione parum inbuti, ad celebratissimum illum Sassanidarum regem retulerunt quae peregerant ii, quorum facta minus

b) *Avec tant d'art et vérité, qu'on y voit jusqu'aux clous des bottes, et jusqu'aux fils de l'etoffe de soie qui sert de housse au cheval*, DE SACY *Memoires* p. 237.

c) OTTER I. p. 185. ABDULKERRIM p. 98. *Magasin encyclop.* 104. p. 389.

d) *Memoires sur div.* p. 235.

minus historicorum et poetarum ore inclaruerunt. Sic etiam monumenta nostra, quorum verus autor iam oblivioni datus erat, ad Cosroen retulerunt. Pleni omnium mirandorum quae de Cosroe circumferebantur, monumentorum explicationem aggressi sunt, iisque fabulosa illa accommodarunt. Eo facilius vero huc trahi potuerunt illae de Cosroë fabulae, quo magis anaglypha, longi temporis iniuriam perpessa, exesa essent, ita ut multae eorum partes, prout velles, accipi et explicari possent. Cosroen quum in statua illa equestri deprehendisse sibi visi essent Persae, et Schirinae locus esse debebat, decantatissimi enim sunt toto Oriente Cosrois cum Schirina amores. Foeminae huius figuram facile invenit Orientalium phantasia. Vetusta aetas effecit credo, ut nonnullae figurae, exesis earum quibusdam partibus, feminarum habeant speciem; recentissimi adeo peregrinatores feminas invenisse contendunt. Errant vero; nulla enim, ut infra videbimus, femina obvia est. — Testes sunt porro peregrinatores, superesse adhuc vestigia canalis, agrorum irrigandorum causa, ut videtur, e rupe excisi. Originem ille dedit fabulae de rivo lactis, quem sibi confici iusserat Schirina. — Nullus peregrinator non memorat stupendum illud naturae opus, rupem scilicet ad amussin fere declivem, inmensae altitudinis, quatuor milliariorum longitudinis. Et haec fabularum ansam dedit. Penes omnes antiquas gentes deprehenditur studium causam inveniendi eorum, quae natura, cuius vim parum percognitam habuit rudior antiquitas, mira et stupenda protulit. Vel a Diis ea repetebantur, vel ad homines referebantur divinis viribus praeditos. Hinc gigantes, hinc heroës excogitati. Ita evenit, ut Ferhadus, sculptor Persiae celeberrimus, cui multa monumenta antiqua tribuuntur, montem illum declivem caelo scalpsisse putaretur. Eo facilius oriri potuit haec sententia, quod multis locis revera scalpri indicia adsunt, et vestigia scalae rupi incisae inveniuntur. Connexum quoque huius rei cum Cosrois et Schirinae historia facile invenit, Persarum fingendi studium. Cosrois iussu opus perfectum praetendebant, ideoque fama et gloria in hunc ipsum Persarum celebratissimum cecidit. — Hucusque reperisse nobis visi sumus quae fictionum ansam dederint; alia tamen habentur in Cazvini descriptione, quae quibus monumentorum partibus respondeant, vix invenias, alia quae prorsus, ut videtur, evanuerunt. Sic e. c. Schirina cum famulis suis, super quibus spectari dicit multorum virorum et feminarum effigies, quae

manus versus Cosroem protenderent, nullibi obviae sunt, nisi alludere velis Cazvinium ad figuras in parietibus a latere obiectis obvias *e*). Homo ille, qui eodem Cazvino teste, palam manu tenet, iam nusquam conspicitur. Tenendum praeterea est, Cazvinum, vel eos quos sequitur *f*), nec ordinem in hac descriptione tenuisse, nec veritati multum studuisse, sed addidisse, disiuncta coniunxisse, et omnino, prout liberet et commodum videretur, egisse. — Mirandum est, scriptorum Orientalium neminem inscriptionum mentionem iniecisse; interiisse videtur Sassanidarum linguae cognitio iam pauca saecula post ipsorum monumentorum originem.

3. *Inscriptiones.*

Non uno tantum loco monumenta illa inscriptiones exhibent, In maioris antri exteriori parte, ut supra monuimus, inscriptio fuisse videtur, itemque in eiusdem antri pariete posteriori, in illo anaglypho, quod tres figuras exhibet. De iis vero nihil innotuit, nisi quod de altera dicit Rousseau, similem esse eius scripturam characteribus in numis Sassanidarum obviis. Solummodo inscriptiones, quae in secundo, *minoris formae antro* exstant, percognitas habemus, Beauchampius enim eas depinxit et communicavit cum de Sacyo *g*). Quae vero descriptio cum ex alia parte lacunas, ex alia characteres exesos referret, expleri debuit et coniecturis restitui. Quod quamquam summo animi acumine et ingenti doctrinae apparatu fecerit De Sacyus, evenit tamen, ut, quum Bembonis itinerarium prodiret, eiusdemque itinerarii effigies et duae inscriptiones communicatae essent cum De Sacyo, irritas deprehenderet coniecturas. Emendavit igitur vir clarissimus quae iam ei in commentatione priori secus videbantur, adhibitis novis, quae accesserant, subsi-

e) Per monumentorum picturas apud Malcolmium clarum est, figuras primarias nullam exhibere feminam. Schirina autem si revera in illis antris repraesentata fuisset, inter principes haud dubie figuras locum obtineret. Parietes a latere obiecti innumeras quidem referunt effigies forma minima (ad minimam partem a Malcolmio depictas), inter quas tamen Schirina vix quaerenda videtur.

f) Quamquam ipse Cazvinus monumenta nostra vidit, quum tamen et annales Persicos laudet, incertum est, utrum ex ipsius iudicio, an Persarum annales secutus, descriptionem exhibuerit.

g) DE SACY, *memoires sur div.* p. 211.

subsidiis *h*). Postquam haec secunda de Sacyi commentatio prodiit, tertium iam habemus inscriptionum exemplar, simul cum monumentorum effigiebus a Malcolmio exhibitum. Longe vero id postponendum Bembonis exemplo. — Inscriptiones illae lingua compositae sunt eadem, qua inscriptiones monumentorum Nakschi-Rustam, quas vel lingua Pelvica vel dialecto parum ab hac lingua diverso constare, autor est De Sacyus *i*). Ità reddit eas vir clarissimus:

Inscriptio I.

Patkeli teman masdiesn vohia Schapuri malcan malca Ilan ve Anilan minotschetli men jesdan boman masdiesn vohia Auhrmasdi malcan malca Ilan ve Anilan minotschetli men Iesdan nepi vohia Narschi malcan malca.

Hoc est:

Imago haec Ormusdi cultoris, optimi Saporis, regum regis Iraniae et Aniraniae, germinis coelestis ex diis, filii Ormusdi cultoris, optimi Hormisdae regum regis Iraniae et Aniraniae, coelestis germinis ex diis, nepotis optimi Narsetis, regum regis *k*).

Inscriptio II.

Patkeli teman masdiesn vohia Schapuri malcan malca Ilan ve Anilan minotschetli men jesdan boman masdiesn vohia Schapuri malcan malca Ilan ve Anilan minotschetli men jesdan vohia Auhrmasdi malcan malca.

Hoc est:

Imago haec Ormusdi cultoris, optimi Saporis, regum regis Iraniae et Aniraniae, germinis coelestis ex Diis, filii Ormusdi cultoris

h) *Memoires de litterature.* II. p. 162. Ad nova De Sacyi subsidia pertinet quoque itinerarium *Olivieri.*

i) *Memoires sur div.* p. 123.

k) *Memoires de litteras.* II. p. 183.

toris, optimi Saporis, regum regis Iraniae et Aniraniae, germinis coelestis ex Diis, nepotis optimi Hormisdae, regum regis *l*).

Referendae igitur sunt ambae inscriptiones ad reges, quorum utrique nomen erat Saporis. Quum vero tres e stirpe Sassanidarum ita appellentur, ad quos eorum referendae sint, facile discas ex eorum epithetis in inscriptionibus obviis. Inscriptio I. appellat Saporem, filium Saporis, nepotem Hormisdae. Quapropter referatur necesse est ad *Saporem II*, cui cognomen erat *Dhulaktaf*, qui secundum plurimos scriptores inde ab a p. Chr. n. 309 usque ad 380 regnavit; hic enim filius erat Hormisdae, nepos Narsetis *m*). Inscriptio II. ad quem referenda sit, iam ex ipsa satis apparet, quippe in qua Saporis, ad quem referenda est, Hormisdas audit avus, qui Saporis, in priori inscriptione nominati, pater praedicatur. Filius igitur hic illius fuerit necesse est; indicat inscriptio II. *Saporem III*, filium Saporis II, nepotem Hormisdae; regnavit inde ab a p. Chr. n. 385 usque ad 389. Nec illud, quod Sapor alter alterum in imperio non excepit, sed distentum fuit utriusque regimen per Artaxerxis quaternum imperii tempus, explicationis veritatem commovet, nec refellitur per hanc inscriptionem plurimorum scriptorum testimonium. Quamquam enim ii in Sassanidarum monumentis coniuncti plerumque occurrunt, qui in imperio se excipiebant, vel communiter illud affectabant, bene tamen, crediderim, coniungi potuerunt uno monumento, licet in imperio se non attigerint, pater et filius, inprimis cum interregnum illud Artaxerxis paucorum tantum annorum esset.

4. Quomodo inscriptiones cum historia urbis Kirmanschah et Orientalium circa haec monumenta testimoniis conciliandae sint?

Originem debere haec monumenta iisdem regibus, quibus regia sedes fuit Kirmanschah, inde verosimile est, quod nulla monti Tak-Bostan propinquior sita fuit urbs, qua reges commorari potuissent. Nec hoc ipso loco urbs sita fuisse videtur; nam apud historicos nulla eius

l) *Memoires de litt.* II. p. 188.

m) EUTYCH. *ann.* I. p. 395. ABULPHARAG. *hist. dyn.* I. p. 134. II. p. 85. ABULPHARAG. *Chronic. Syriac.* vers. Lat. p. 60. Cf. DE SACY *memoires sur.* p. 252.

eius occurrit mentio, regio vero ipsa rudera urbis non exhibet. Conditor urbis Kirmanschah secundum autores Orientales habetur *Varanes n*). Fidem Hamdullae addit, quod, in huius rei memoriam, ut videtur, Varanes ille cognominabatur Kirmanschah *o*). Varanes IV. secundum alios frater, secundum alios, et hoc magis probabile, filius fuit Saporis II, et regnum obtinuit post Saporem III, inde ab a. p. Chr. n. 389. usque ad 399. Pater eius, teste Agathia *p*), populum *Kerman* potestati suae submisit, et inde iure (εἰκότως) nomen traxit filius. Graviorem huius rei causam discimus ex *Nikbi ben Massud;* obtinuit scilicet Varanes regnante patre (Sapore II.) et fratre (Sapore III.) imperium provinciae Kerman *q*). Quamquam Varanes conditor vulgo praedicatur urbis Kirmanschah, bene tamen fieri potuit, ut pater eius et frater fundamenta urbis iacerent, vel eiusdem aliquam partem perficerent, Varanes vero, qui quae alii inchoaverant, ad exitum perduxit, urbi nomen daret. Ipse enim Varanes non is fuisse videtur, qui sua sponte multum consuleret prosperitati et saluti terrae suae. Testis est Nikbi ben Massud *r*), neglexisse eum imperii curam, et voluptati tantum indulsisse. Sed ne opus quidem est hac coniectura, vix omni probabilitate destituta; sufficit, quod opera et auxilio Saporis II et III. huius provinciae imperium tenebat (cuius vero rei testes sunt historici), et causam habes satis validam, quod illorum quoque effigies in monumentis nostris inveniuntur. Si mirum quem habet, quod Varanes non ille est, ad quem pertinet inscriptio, cogitet, plura alia superesse anaglypha, quae quorum imagines repraesentent, nemo adhuc demonstravit. Adest antrum illud maioris formae: num eques in eo obvius

n) HAMDULLA, laudatus apud DE SACY. p. 235. MALCOLM, *history* I. p. 113.

o) TARIKH CHOZIDEH apud *Herbelot.* f. v. Sassanian. — ABULPHARAGIUS, *Chronic.* p. 72. TARIKH FENAI laudatus a *Richtero* p. 198.

p) Οὐαραράνης ..... ὃς δὴ καὶ Κερμασσὰ ὠνομάζετο· τῶν δὲ τοιούτων ἐπικλήσεων ἡ αἰτία ἤδη μοὶ εἴρηται· καὶ γὰρ Κέρμα ἔθνους τύχον ἡ χώρας ὑπῆρχεν ἐπωνυμία· ταύτης δὲ τῷ πατρὶ τοῦ Οὐαραράνου δεδωλωμένης, εἰκότως ὁ παῖς τὴν ἐπωνυμίαν ἐκτήσατο, AGATHIAS. ed. Paris. p. 136.

q) "*Behram, fils de Schabour, succéda à son frère. On le surnomme Kermenschah, parceque sous le règne de son père et de son frere il avoit eu le gouvernement du Kerman.*" *Notices et extraits des mss. de la bibl. du roi* II. p. 334.

r) *Notices et extr.* l. c.

obvius Varanem IV. exhibet, num tres figurae, quae superiorem antri partem occupant, eos sistunt, qui Varani in administrando imperio adiutores fuerunt? Sed et alii potentes reges, inter quos Cosroes Anuscervanes et Cosroes Abruizes, ut supra vidimus, in urbe Kirmanschah commorabantur, eique amplificandae et decorandae operam inpenderunt. Cosrois quoque potentiae quam maxime convenit eques ille, omni vestitus et armaturae splendore insignitus. Priusquam inscriptiones, quarum et huius antri duae sunt, descriptae et explicatae fuerint, certi quid hac de re effici vix poterit.

5. *De monumentorum usu et consilio, deque singularum partium significatione.*

a) Monumentorum usus et consilium.

Est quod mireris, neminem eorum, qui his monumentis curam inpendere, quaestionem sibi explicandam sumsisse, cui usui inservierint haec antra, quum tamen ad hanc quaestionem responsio nec per se pateat nec indagatione sit indigna. Mos erat Persarum regum, clarissimas vitae res gestas monumentis celebrandi. Praeclara illa facta anaglyphis expressa aperte ostendebant, quo monumenta essent referenda. Testimonio sunt rudera urbis Schapur aliaque. Eadem ratione et singularum monumentorum partium usus per anaglypha innotuit. Quid in singulis palatii conclavibus rex ageret, cuive rei inservirent camerae, sculpturae opera in iis obvia docebant. Non ignores in Persepolitanis conclave illud admittendis legatis destinatum: anaglypha enim exhibent regem sella regia ibi sedentem, omni regis ornatu insignem; introducuntur diversarum nationum legati. Sic quoque ex cryptarum nostrarum anaglyphis usus earum apparere mihi videtur. Antrum minoris formae quum, exceptis duabus statuis, nulla sculpturae opera contineat; nihil facit ad usum ipsius constituendum. Magis ad nostram rem facit antrum maius. Eius parietes, a latere obiecti, venationes repraesentant, cum terrestres, tum navales; rex ipse, quem ob corporis staturam, qua ceteris hominibus, ut semper, eminet, haud ignores, in utroque pariete venator bis obvius est. Hinc facile cognoscas ~~colligendum puto,~~ alludere haec anaglypha ad regionem circa iacentem, qua venationes habebant reges. Fidem facit huic sententiae locus Hamdullae supra laudatus, quo certiores fimus, "Cosroem Abruizem hortum

hortum sibi parasse in campo urbis Kirmanschah, duarum parasangarum longitudinis eiusdemque latitudinis. Horti alteram partem arboribus conserendis destinatam fuisse, alteram vero vastum pratum effecisse, quod animalibus cuiusvis generis compleri iusserit Cosroes *s*)." Vivarium peramplum fuit, ni fallor, quem hortum appellat Hamdulla, feris nutriendis destinatum, hoc ipso loco paratum, quo mons Tak Bostan regioni versus septentrionem finem inponit. Firmat quodammodo hanc opinionem cum nominis significatio, quae est, *mons horti* vel *arcus horti*, tum regio ipsa; non facile invenires aliam huic consilio aptiorem: solum enim maxime frugiferum, fluvio irrigatum, ex una parte praealta rupe septum, vivario quam maxime respondebat. Huius vivarii effigiem anaglyphis referre mihi videntur antri, in ipso eo parati, parietes. Opus illud reticulatum, de quo multa in Bembonis itinerario *t*), et quod conspicuum est in Malcolmii tabulis aeneis *u*), refert illud septum, quo circumdatum erat vivarium, vel quo ex parte circumsepiri solebat regio, simulac in ea venationem instituebat rex *v*). Innumera illa ferarum copia, cum omnino in Orientalium more, veritatem talibus in rebus procul habendi, tum in eo ipso, quod vivarium est, quo instituit rex venationem, iustam habet excusationem. Sed quid sibi volunt cymbae istae in anaglyphis expressae? Fluvius satis magnus totam planitiem secat, eo rex navicula invehens, ut puto, in ripa excitatas feras telis petit. — Quod iam ad ipsum antrorum usum attinet, receptacula fuisse videntur, ad quae se conferret rex, venatione fatigatus et calore fessus. Multa eiusmodi antra in Persia inveniuntur, quae appellantur *surdab* frigidaria, quibus se abdere solent Persae, ut tutos se praestent a solis fervore. Eiusdem generis, nisi quod diligentiori manu exsculpta et maiori cura ornata sint,

s) DE SACY, *memoires sur div.* p. 235.

t) MORELLI, *dissertazione* p. 69. 70.

u) MALCOLM, *history* I. p. 258.

v) Et hodieque in Persia eadem ratione regiones inter duo praerupta montium iuga, a tertio latere sepimento includi solent; a regione aversa maxima congitur ferarum copia, cui tunc interficiendae pro lubitu rex cum suis operam navat. Cf. venationis descriptio apud DELLA VALLE III. p. 429. Effigies huius venationis exstat in *Della Vallae itinerarii versione Germanica*, Genf 1674. p. 142.

fint, quum ſcilicet rex in iis commoraretur, antra illa fuiſſe videntur. Obiicienti, quod rex neceſſitatibus ſuis commodisque per illa antra parum proſpexerit, reſpondeo, non ſola ea fuiſſe, quibus commoratus fuerit, conclavia, nonnulla enim rudera aedificiorum caeſis lapidibus ſtructorum adſunt, quae quum proxime iis adſita ſint, veroſimile ſaltem fit, cohaeſiſſe illa aedificia cum his ſubterraneis cryptis. An vero, ut hoc adhuc addam, Cosroes revera huius maioris antri auctor fuerit, totiusque vivarii inſtitutio ad eum pertineat, ex Hamdullae teſtimonio vix effecerim. Cum Varane quoque inſigniter talium rerum inſtitutionem quadrare, docet eius voluptatis ſtudium, cui plus aequo indulſit *w*).

b) Singularum partium ſignificatio.

Iam quum de antrorum uſu viderimus, ſperamus fore ut paratiores ſimus ad ſingulas res explicandas. Maxime omnes fere peregrinatores vexaverunt figurae illae duae femineae, maiori antro incumbentes, in tabula noſtra VII. conſpicuae. Per deſcriptiones, in quibus alae et annulus illis figuris tribuuntur, perſuaſit ſibi De Sacyus *x*), idem numinum genus ſub iis repraeſentari, quod exhibet figura illa in monumentis Perſepolitanis ſaepius obvia, in ſepulcris praecipue conſpicua *y*), qua, ut nos edocuit Heerenius *z*), Perſarum *Feruer* repraeſentatur Non dubito quin De Sacyus, ſi adſpicere ei licuiſſet figurarum quae iam exſtant effigies, aliter de iis iudicaſſet. Alia enim plane iis eſt forma, quam qua ille Feruer exhibitus eſt; vix maxima diverſitas illa eſt, quod Feruer ſub viri ſpecie repraeſentatus eſt, noſtrae vero figurae feminae ſunt. Ut vero forma hae figurae ab illa longe diverſae ſunt, ita et numine, quod iis ſubeſt multum ab illo diſcrepant.

Fuerunt Perſis divinorum entium genera, Graecorum Geniis haud plane diſſimilia. Primum eorum genus efficiebant primogeniti Ormuzdi, qui thronum Ormuzdi miniſtri ſemper circumſtabant; appellabantur *Anſchaspand*. Curae eorum erat commiſſa hominum ſalus

w) *Notices et extr.* II. p. 334.

x) *Memoires ſur div.* p. 269.

y) Exhibitam habes hanc figuram, praeter alios, apud *Chardinum* Tab. 64. 67. 68. *Kaempferum* p. 313. 344.

z) *Ideen* I. 1. p. 253.

ſalus interna; curabant ſcilicet, ut mens hominibus eſſet culpae expers et peccatis immunis *a*). Secundum illorum numinum genus, quod ex Ormuzdo prodiit, nominabatur *Ized b*); ſervabant ſalutem hominum externam, ut ita dicam, efficiebant ut omnia bona fauſtaque hominibus contingerent. Demandaverat iis Ormuzdus totius naturae curam *c*), eorum aliud aliam naturae partem cuſtodiendam, aliud aliam terram tuendam nactum erat *d*). Quae fuerit horum numinum natura, quodque negotium, optime discimus ex precibus, quae Mithrae, principi eorum habebantur *e*). Cum viri tum feminae erant *f*). Ut unicuique naturae parti, ita et aquae inprimis tale numen additum erat, quod quidem appellabatur *Arduiſur*, cuius negotium perdiscas pari modo ex eius precibus. Ita aquae numini, *Ized-Arduiſur*, precabantur: "*O Quell Arduiſur, eile ſchnell zu meiner Hülfe, gieb mir Leben, ſchwing mich über tauſend Menſchen! — Laſs Waſſer ſtrömen in meinen Städten, um meinet willen im Lande Djemſchids, das Ormuzd geſchaffen! Waſſer ſtröme an den Orten des Schlafs, o Quell Arduiſur, deſſ Leib jungfräulich rein — o heilig — reingeſchaffne Ormuzdtochter, — der du dich mit Liebenswürdigkeit und Reinigkeit erhebſt und Glanz auf deinem Antlitz ſpiegelſt — Groſser Quell! Goldhaare deines Haupts zeugen alles was auf Erden wächst. Schnell und lebendig ſtrecke aus deinen Arm, vertreibe weit von Ormuzds Erde und des Schlafes Sitz die Furcht. Beglücke mich mit all dieſem Heil und laſs mich ſchnell dazu gelangen, o Quell Arduiſur g)!*" Hoc ipſum aquae numen, ſi quid video, ſub figuris illis femineis, in maioris antri fronte exhibitum eſt. Suadet hoc, primum ipſe locus, quo exſculptae ſunt noſtrae figurae, nulli alii numinum generi aptior; deinde earum concinnitas cum eo numine, quod cognovimus ex Zend-Aveſta. In eadem rupe, ex cuius inferiori parte fons ſpumans effunditur, et totam planitiem foecundiſſimam reddit, virgines illae divinam ſpeciem prae ſe ferentes,

a) ZEND-AVESTA *von Kleuker* II. p. 257. *Anhang zu Zend-Aveſta* I. 2. p. 300.
b) *Anhang* I. 2. p. 301. *c*) *Anhang* II. 1. 118.
d) *Anhang* I. 2. p. 302. I. 1. p. 241.
e) *Zend-Aveſta* II. p. 221. *f*) *Anhang* I. 2. p. 310.
g) *Zend-Aveſta* II. p. 201. Ipſis Kleukeri verbis uſus ſum, diffidens, illam verborum vim et rhythmum apte Latina lingua aſſequi poſſe.

tes, pulcra forma conſpicuae, fluitante veſte indutae, exhibitae inveniuntur. Quid veroſimilius, quam ea ipſa numina eſſe, quae effecerunt, ut locus amoeniſſimus omniumque frugum ditiſſimus exiſteret? Aqua quum ſola fere cauſa eſſet, ut tota regio tam laeta et dives exiſteret, quumque eius numen et venationis fautor eſſet et praeſes *h*), *Ized Arduiſur*, credo, optime huic loco convenit. Multa occurrunt in loco illo ex Zend-Aveſta allato, quae inſigniter cum noſtris figuris conſpirare videntur. Sub femina repraeſentabatur illud aquae numen; feminae et noſtrae figurae ſunt. Ulnas protendunt (aeque ac in Zend-Aveſta audit) deae hae benevolae, ut tutum praeſtent ſomni locum, arcem illam regiam, qua quieti ſe dabat rex, omnis curae omnium laborum expers, voluptate tantum perfruens. Dextra annulum tenent aeternitatis ſignum *i*), laeva patellam vel potius cornu copiae *k*), ſymbola haud dubie, ut omnia bona laetaque regi abunde affluant, omninoque rex felix fortunatusque ſit. — Lunae falx, quae ambabus figuris media ſupereminet, ſaepius in monumentis Perſicis obvia eſt. Luna frugum procreatrix et abundantiae fons habebatur *l*); eique inprimis crescenti precabantur.

Quamquam vix efficias, quem referat ſtatua illa equeſtris, in eiusdem antri interiori parte prae ceteris figuris conſpicua; per ſe tamen ea ſatis gravis eſt, ut nonnullae partes accuratius examinentur. Tiara eius in galeae modum rotunda, diademate ornata, ſuperſtructa bulla (cuius tamen parva tantum pars adhuc conſpicitur), fasciae a tergo fluitantes, vento agitatae, quum regem indicent, effigiem attentione noſtra digniſſimam reddunt. Rex ſcilicet e ſtirpe Saſſanidarum exhibitus eſt, omni armaturae genere decorus, ac ſi expeditionem aliquam ſusciperet. Armatus eſt ad modum eorum militum, qui *cataphractorum m*) nomine appellantur, qui

h) ZEND-AVESTA II. p. 178.

i) In tota Oriente temporis ſymbolum annulus eſt, cf. HERDER'S *Werke* I. p. 64.

k) Forteſſe calix *Hâvan*, cf. ZEND-AVESTA. I. p. 250.

l) ZEND AVESTA. II. p. 110 et 111.

m) *Cataphracti equites, quos Clibanarios dictitant Perſae, thoracum muniti*

qui et ipsi muniti ferro erant et equos similiter munitos habebant. Accuratissime eos adumbrat Heliodorus *n*), cuius descriptio tam arcte cum effigie illa, tabula nostra VII. expressa congruit, ac si ab ipsa ea imaginem petiisset autor. Primum memorat *galeam* cohaerentem et compactam, totum hominis caput usque ad collum operientem. Ex hac parte cum Heliodori descriptione magis convenit pictura

muniti tegminibus, et limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros: quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti: ut quocumque artus necessitas commovisset, vestitus congrueret iunctura cohaerenter aptata. AMMIANUS MARCELL. XVI. c. 10. — De Cataphractis plura qui legere cupit, adeat BRISSONIUM (p. 672.) et MONGESIUM (*Memoires de l'instit.* Cl. III. T. IV. p. 57 et 167.).

n) Locus gravissimus nec ullo pacto hic praetereundus sic se habet: Ανὴρ ἄκριτος, καὶ σώματος ἰσχὺν ἐπίλεκτος, κράνος μὲν ὑπέρχεται, συμφυές τε καὶ μονήλατον, καὶ ὄψιν ἀνδρὸς, εἰς ἀκρίβειαν, ὥςπερ τὰ προσωπεῖα σοφιζόμενον· τούτῳ δὲ ἐκ κορυφῆς εἰς αὐχένα, πάντα, πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν εἰς τὸ διοπτεύειν, σκεπόμενος, τὴν μὲν δεξιὰν, κοντῷ μείζονι λόγχης ὁπλίζει· τὴν λαιὰν δὲ εἰς τὸν χαλινὸν ἀσχολεῖ. Κοπίδα δὲ ὑπὸ τὴν πλευρὰν παρηρτημένος, οὐ τὰ σέρνα μόνον, ἀλλὰ καὶ σῶμα τὸ ἄλλο ἅπαν τεθωράκισται· ἐργασία δὲ τοῦ θώρακος τοιάδε. Σκυτάλας χαλκᾶς τε καὶ σιδηρᾶς, ὅσον σπιθαμαίας, πάντοθεν εἰς σχῆμα τετράγωνον ἐλάσαντες, καὶ ἄλλην ἐπ' ἄλλην κατ' ἄρκα τῶν πλευρῶν ἐφαρμόσαντες, ὡς τῇ κατωτέρᾳ τὴν ὑποκειμένην ἀεὶ, καὶ τῇ πλαγίᾳ τὴν παρακειμένην ἀεὶ κατὰ τὸ συνεχὲς ἐπιβαίνειν· καὶ ῥαφαῖς ὑπὸ τὰς ἐπιπτυχὰς τὴν συμπλοκὴν ἀγκιστρώσαντες, χιτῶνα τινὰ φολιδωτὸν ἀπεργάζονται· προςπίπτοντα μὲν ἀλύπως τῷ σώματι καὶ πάντη περιφυόμενον, περιγράφοντα δὲ μέλος ἕκαςον, καὶ πρὸς τὸ ἀκώλυτον τῆς κινήσεως συςελλόμενον τε καὶ συνεκτεινόμενον· ἔςι γὰρ χειριδωτὸς, ἀπ' αὐχένος εἰς γόνυ καθειμένος, μόνοις τοῖς μηροῖς, καθὸ τῶν ἱππείων νώτων ἐπιβαίνειν ἀνάγκη, διαςελλόμενος· ὁ μὲν δὲ θώραξ, τοιοῦτος. ἀντίτυπόν τι βαλὼν χρῆμα, καὶ πρὸς πᾶσαν τρῶσιν ἀπομαχόμενον ἡ κνημὶς δὲ ἀπ' ἄκρων ταρσῶν εἰς γόνυ διήκει συνάπτουσα πρὸς τὸν θώρακα. Παραπλησίᾳ δὲ σκευῇ καὶ τὸν ἵππον περιφράττεσι, τοὺς δε πόδας κνημῖσι περιδέοντες, καὶ προμετωπίδιοις τὴν κεφαλὴν δι' ὅλε εφηκοῦντες· ἐκ νώτων τε ἐπὶ γαςέρα, καθ' ἑκατέραν πλευράν, σκέπασμα σιδηρόπλοκον ἀπαιωροῦντες, ὡς ὁπλίζειν τε ἅμα, καὶ τῇ λαγαρότητι μὴ ἐμποδίζειν τοὺς δρόμους. Οὕτως ἐσκευασμένος καὶ οἷον ἐμβεβλημένος περιβάλλει τὸν ἵππον, οὐκ αὐτὸς ἐφαλλόμενος, ἀλλ' ἑτέρων διὰ τὸ ἄχθος ἀνατιθεμένων· κἀπειδὰν ὁ καιρὸς ἥκει τῆς μάχης, ἐφεὶς τῷ χαλινῷ τὸν ἵππον, καὶ μυωπίσας, παντὶ τῷ ῥοθίῳ κατὰ τῶν ἐναντίων ἴεται· σιδηρεῦς τις ἀνὴρ φαινόμενος, ἢ καὶ σφυρήλατος ἀνδριὰς κινούμενος. HELIODORI *Aethiop.* l. IX. p. 431. Paris. 1619.

ctura Olivieri *o*), ex qua tota equitis facies, exceptis oculis, tegumento illo cooperta est. Malcolmii effigies refert potius cidarin rotundam, bucculis instructam defluis. Notatur porro ab autore *lancea praelonga*, qua et Herodianus *p*) cataphractos armatos fuisse testatur, quaeque bene conspicua est in nostra effigie. Quod ad *loricam* attinet, non tantum pectus, sed etiam *totum hominis corpus ea* erat indutum, ita ut revera equites illos armaturâ istâ invulnerabiles reddidisse Persae dici possunt *q*). Loricae ratio et textura diversa fuisse videtur: ex Heliodori descriptione constitit ex laminis aereis et ferreis forma quadrangulari; sed ex laminis rotundis quoque conpactam fuisse loricam, docet tam locus Ammiani Marcellini supra laudatus, quam pictura nostra, ex qua eques thoracem gestat laminibus compositum rotundis, quarum forma causa fuit, ut pro annulis false eas acciperet Hamdulla. *Nec vero eques solus, sed equus quoque ista armatura defendebatur.* Convenit cum hoc testimonio nostra effigies, quae equitis caput et pectus loricatum sistit. Picturae fidei testes sunt peregrinatores *r*). Solas *ocreas*, quas meminit Heliodorus, non obviae sunt in nostro equite; qui vero, praeter modo indicata, scutum habet, forma rhomboidis, quod quidem, licet non notetur in cataphractorum descriptione, novit Strabo *s*).

In tribus illis figuris, quae eiusdem parietis superiorem partem occupant, feminam ego nullam agnosco vas aquae effundentem. Quum maxime exesum esset hoc anaglyphum temporis iniuria, diverso modo a peregrinatoribus acceptum est; aliter Olivierus figuras describit, aliter eas depingit Malcolmius *t*). Ex comparatione huius iconis cum aliis eiusdem generis apparere mihi videtur, ex hibi-

o) Planche XXXIX. fg. 1.

p) IV. 28. Cf. MONGEZ, *Memoires de l'instit.* Cl. III. T. IV. p. 172.

q) LIBANIUS *in Basilico*: Opp. II. p. 120. ed. Paris. 1627. Ἐπενόησεν (rex Persarum) ἱππικὸν ἄτρωτον, ὡς εἰπεῖν, κατασκευάσασθαι· οὐ γὰρ ὅσον εἰς κράνος καὶ θώρακα, καὶ κνημῖδας, τῷ παλαιῷ τρόπῳ τὴν ὅπλησιν ὥρισεν, οὐδ' ὅσον μετώπου καὶ στέρνων ἱππικῶν προβαλλέσθαι χαλκόν· ἀλλ' ὥστε τὸν μὲν ἐκ κεφαλῆς εἰς ἄκρους πόδας· τὸν δὲ ἐκ κορυφῆς εἰς ἄκρας ὁπλὰς κεκαλύφθαι τοῖς φυλακτηρίοις, ὀφθαλμοῖς δὲ μόνοις ἀνεῶχθαι χώραν εἰς ὄψιν τῶν πραττομένων· καὶ ταῖς ἀναπνοαῖς τε μὴ ἀποκνίγεσθαι.

r) ROUSSEAU, *Fundgruben des Orients* III. p. 95. KINNEIR. p. 133.

t) l. XV. p. 1067.

s) I. p. 258.

hibitam esse hoc loco effigiem illam symbolicam, saepius obviam, duorum annulum tenentium, quorum alteri a tergo stat pedissequus, figurae principi muscarium vel umbrellam supertendens. De symboli huius significatione in universum alias *u*) disquisivimus; unam rem hoc loco inprimis memorabilem silentio praeterire nequeo: nimirum aliis locis, quibus ambo armati et certantes anaglypho exhibiti sunt, illud momentum primarinm indicari videtur, quo rex alter alteri imperium eripit; nulla vero hoc loco arma, nullum certamen: num innuitur fortasse hac effigie ratio illa, qua filius a patre (Varanes IV. a Sapore II.) provinciae *Kermani* imperium accepit, nulla alterius in alterum invidia mota?

Idem anaglyphum exhibitum habes in rupis superficie, decem passus a secundo antro remotum, in aliis partibus priori verius, in aliis tamen pravius a Malcolmio expressum. Quinam sint hoc loco repraesentati difficile foret expeditu, quod inscriptionibus, quae priori effigiei additae sunt, huic anaglypho desunt *v*). Duo annulum tenentes luculentius obvii sunt; capitis ornatus non aeque ac illuc tempestatis iniuria exesus est: bene agnoscis in utroque capite Sassanidarum tiaram, alteram globosam ex inferiori parte trifidam, alteram in galeae modum rotundam; bulla superstructa utrique. De tertia figura vix audeo coniecturam proferre, quid enim sibi vult stella, cui insistit, gloria, qua caput circumdatum habet? Exstat locus perquam memorabilis apud *Petrum Chrysologum w*), autorem post Chr. n. saeculi quinti, qui piis verbis suos ita admonet: "*Ne simus ut Persarum reges, qui subiecta nunc pedibus suis sphaera, ut polum se calcare credantur, Dei vices mentiuntur: nunc radiato capite ne sint homines, Solis resident in figura: nunc impositis sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, effoeminantur in lunam: nunc varias velut siderum sumunt formas, ut hominis perdant figuram et nihil supernae claritatis acquirant.*" Quid igitur, num putemus, figuram istam, ornamentis illis instructam esse, non, ac putavit pius Petrus,

u) Cf. supra p. 40.

v) De Sacy (*memoires* p. 263.) inscriptiones adesse contendentem, in errorem duxisse videtur falsa descriptio negligentis Emanuelis, qui de antro secundo loquens, tres ibi adesse figuras contendit. Huius anaglyphi Emanuelis mentionem non fecit.

w) *Sermones*, 120. *Opp.* ed. Venet. 1742. p. 145.

trus, ut calcaret polum et in Solis figura resideret, sed ut universae terrae dominum, solis fratrem se indicaret? Lubenter ita statuerem, inprimis quum tituli superbissimi hisce nominibus appellent Sassanidas reges *x*), si modo figura, quae ita ornata conspicitur in tabula Malcolmii, totius anaglyphi princeps esset. Sed ni fallor insigniter, pedisseqnum refert; hoc enim mihi persuasit cum huius effigiei cum aliis comparatio, tum muscarium, quod quidem licet ex superiori parte exeserit tempestas, ab inferiori tamen agnoscis, quamquam in gladii formam imperite illud effinxit pingentis manus. Quid multa? aut erravit pictor, aut seriori tempore accesserunt illa ornamenta.

De antro secundo una res memoranda restat. Rudis Bembonis effigies licet multa habeat falsa, alia tamen exhibet, quae aliunde fidem accipiunt. Figurae scilicet ornatae conspiciuntur Sassanidarum tiara, cum inminente globo, additis alis; alterius vero figurae tiara praefixam habet lunae falcis symbolum, quod facile explicatur per Ammiani Marcellini locum supra allatum, in quo ipse ille Sapor titulum habet *lunae fratris*. Alae tiarae additae occurrunt quoque in numis *y*).

Quod attinet ad feminam illam nudam, lavantem, in quam oculos figit caput, in superiori parte tertii antri obvium, quo quidem anaglypho alludi putat Ivesius ad historiam Davidis et Bathsebae, De Sacy vero indicari opinatur amores Cosrois et Schirinae *z*); totam narrationem ut fabulam reiicio; nam excepto Emanuele, peregrinatorum nullus huius anaglyphi mentionem fecit; Rousseau vero *a*) distinctis verbis dicit, nullibi eius indicium adesse.

6.

x) Cf. AMMIANUS MARC. XVII. c. 5. *Rex regum Sapor, particeps siderum, frater solis et lunae.* — SIDONIUS APOLLINARIS VIII. 9.:

„Qui (Arsaces sc.) cognata licet sibi astra fingens,
„Phoebea tumeat propinquitate,
„Mortalem hic tamen implet obsecrando.

y) Cf. numi Varanis II. a TYCHSENIO exhibiti (*Commentatt. Soc. Gott. rec.* Vol. II. p. 12. Tab. I.)

z) *Memoires sur div.* p. 240.

a) *Mogas. encycl.* T. 104. p. 395.

6. De artis horum monumentorum indole et natura.

Persae, quum anatomes regulas parum curarent, nullo tempore in sculpendi arte eminuerunt. Nihilo secius tamen testes sunt peregrinatores, figurarum hic repraesentatarum multas tanta singularum partium concinnitate exsculptas inveniri, ut ne optimos quidem Graecorum Romanorumve artifices dedecerent. Quod praedicant peregrinatores, cum in aliis horum monumentorum partibus, tum in figuris illis minoris formae, quae antri maioris parietibus a latere obiectis incisae sunt, neminem fugit. Praecipue quoque haec artis perfectio in illis figuris ex antri maioris superiori fronte excisis, inprimis secundum tabulam Olivieri, obvia est. Numen his figuris subesse Persicum, in antecedentibus demonstrasse opinor; rationem vero, qua illud sit prolatum, Graecorum artem innuere, primo tabularum aenearum aspectu facile tibi persuadebis. Gracilis figurarum habitus, fluitantes vestes, mammarum protuberantia, singularum totius corporis partium concinnitas a Persarum arte prorsus aliena, uno verbo, tota ars in iis conspicua sententiae meae fidem facit. Quum praeterea insignem observes harum figurarum cum Graecorum Geniis similitudinem, persuasissimum mihi habeo, Persas, ut in multis aliis monumentis, ita et in his potissimum perficiendis, Graecis usos fuisse artificibus. Iam facillime explicatur ille Persici numinis cum Graeco consensus. Artifices Graeci scilicet bene tenebant Geniorum sistendorum rationem; iam vero iis demandabatur numinis alicuius repraesentatio, cuius naturam et indolem quum haud perspectam haberent, similem vero eam multis in rebus deprehenderent Graecorum Geniis, ad horum similitudinem multa exsecuti sunt, dum aliud plane numen ex Persarum institutione effingebant. Quum vero multa occurrant, tam in his ipsis figuris, quam in reliquis monumentorum partibus, quae aeque ab arte atque a mythologia Graecorum prorsus abhorrent, quaeque aperte Persas produnt, ut e. c. attributa figurarum, annulus, lunae falx, aliaque; quumque pari modo permagna illa ferarum, parietibus antri maioris incisarum copia Orientales innuat, naturam et verosimilitatem in artis operibus procul habentes: commistionem ego in his ipsis monumentis video Graecorum artis et ingenii cum Persarum indole. Graeci scilicet artifices, ut puto, ad Persarum praecepta et formulas haec monumenta exsecuti sunt; quare fit ut, significationem si spectes effigierum illarum feminearum, Orientales haud

ignores, rationem vero si consideres, qua hae figurae sint perfectae, Graecos Graecorumque artem bene agnoscas. Persas vero in multis artis operibus Graecis artificibus usos fuisse, fidem faciunt, non modo monumenta ipsa, sed aperta historicorum testimonia *b*).

II. Monumenta montis Bissutun.

A. Descriptio.

Quatuor fere milliaria Germanica orientem versus mons Bissutun subito magna rupe intercluditur. Spectanda sese praebent hoc loco monumenta omni attentione digna.

1. Primum obviam habuit Olivierus *a*), quum ad visenda haec monumenta ex diversorio deletae urbis Schehernu deflecteret, columnae apicem, ad ripam ipsius fluvii, qui praeterfluit illud diversorium, situm. Solus Olivierus eum descripsit et deliniavit *b*). Constat ex roseo marmore; superior pars tres pedes, inferior, qua attingit columnam, duo tantum aequat. E quatuor lateribus duo opposita insignita sunt figura humana: altera, quae regis speciem prae se fert, tiara illa globosa, ea vero valde exesa, ornata fuisse videtur. Dextra manu tenet globum, ut habet Olivierus, a quo dependet figura oblonga, singularis rationis et explicatu difficilis (puta coronam sub annuli symbolo, a quo dependent fasciae); laeva manu tenet libellum; sub hac manu spectatur flos. Veste induta est, ut videtur, tenui et preciosa. — Figuram descriptae adversam pro femina habet Olivierus, pro viro ego; nam tiarae illius globosae aperte obvia sunt indicia. Zona gemmis ornata est, ut contendit Olivierus. Utraque manu sublata tenet figuras triangulares oblongas, quae quid significent, non video. Ad laevam figurae manum flos conspicitur Aegyptiorum loto haud dissimilis. Duo reliqua latera floris alicuius calicem pro ornamento habent. Omnia perpolite facta sunt, ut apparet ex apicis effigie, Tab. nostra VIII. Fig. a. ex aere Olivieri idcirco expressa, quod architecturae indoli percognoscendae alicuius momenti esse videbatur.

2.

b) MIRKHOND, in: DE SACY, *memoires sur* p. 324. THEOPHILACTUS SIMOC. V. 6.

a) OLIVIER. III. p. 23. *b*) Pl. 40. Fig. 1.

a







b



Bifsutun

2. Olivierus quum paululum inde procederet usque ad rivi ortum, anaglyphum invenit, super ipsis fontibus e rupis superficie excisum *c*). Figurae humanae, quas exhibet, forma et vestitu simillimae sunt Persepolitanis *d*), sed temporis et Muhamedanorum vi maxime laesae. Homines nonnulli una serie stant; unus eorum manu tenet parvam humanam effigiem, quae magnis alis praedita tubam inflat. Alia eiusdem generis figura super capita ceterarum maioris formae effigierum involare videtur *e*). His figuris intermedia magna tabula e rupe excisa est, quae inscriptionem exhibet Sassanidarum temporibus tribuendam *f*); inscriptionis huius characteres tam bene conservati sunt, ut sine molestia legi possint. Ad utramque tabulae partem vestigia inscriptionis Graecae obvia sunt, quae quamquam ex maxima parte alii cessit inscriptioni, recentiori lingua Arabica compositae *g*), vocabula tamen haec Graeca ΓΩΤΑΡΖΗΣ — ΣΑΤΡΑΠΗΣ bene distinguuntur *h*). Totius anaglyphi effigiem, parum satisfacientem dederunt Bembo *i*) et Olivierus *k*).

3. Haud procul ab hoc loco occidentem versus, ea rupis parte, quae praeceps viae inpendet, oculis obiicitur in rupis superficie similis tabula rasa, in qua exhibita sunt quae sequuntur. Octo homines, manibus post tergum revinctis, una serie positi, ita ut alter alterum magnitudine superet, a nono ad regem adducuntur. Rex enim esse videtur, qui ad eos conversus sella sedet, manu tenens baculum praelongum, quod male pro arcu habet Bembo. Regiae figurae a tergo stant duo pedissequi, quorum regi proximus arcum, alter baculum praelongum tenet. In mediae fere tabulae parte capitibus impendet figura illa, in monumentis Persepolitanis, cum aliis locis, tum in sepulcris praecipue, obvia, cuius supe-

c) OLIVIER. III. p. 24.

d) BEMBO, *dissertaz.* p. 64. Fidem Bembonis testimonio addit effigierum inspectio.

e) BEMBO, *dissertaz.* p. 65.

f) OLIVIER. III. p. 24.

g) KINNEIR. p. 131.

h) BEMBO, *dissertaz.* p. 66. OLIVIER l. c.

i) *Bembonis* effigiem aeri incidi curavit *de Sacy*: *Memoires de l'instit.* T. II. p. 173. Tab. I. Fig. 2.

k) OLIVIER. T. 40. Fg. 2.

ſuperior pars ſpeciem ſenis habet, inferior vero in pennas deſinit *l*). Sub his figuris inſcriptiones invenit Bembo, quas eiusdem generis habet, ac inſcriptiones Perſepolitanas proprie ſic dictas *m*). Quum optime eſſent ſervatae, Bembo eas delineari iuſſit. Bembonis deſcriptione aspecta, revera inſcriptiones cuneiformes invenit de Sacy *n*). Totius anaglyphi effigiem, exceptis inſcriptionibus, dedit Olivierus *o*), ex cuius aere Tab. noſtra VIII. Fig. 2. deſumta eſt.

Infra hoc anaglyphum ianua eſt magno lapide clauſa. Pro ſepulcro hanc rupis partem habet Olivierus. Kinneirus quoque huius loci ſculpturam ſimillimam iudicat ſepulcris Perſepolitanis *p*).

Ab hoc loco ſi trecentos paſſus orientem verſus diſceſſeris, ita ut ad laevam habeas montes, pervenis ad muri percraſſi reliquias; lapides praeterea magnos in quadrati formam caeſos hic ibique ſparſos invenis. Item fonti ad orientem, murorum rudera et viae ſtratae in longinquum protenſae veſtigia deprehenduntur. Totus mons ad altitudinem centum pedum caelo ſcalptus eſſe videtur; teſte Ottero *q*) via *e* rupe exciſa hic invenitur. Dubitat vero Olivierus, an non lautumiae quondam hoc loco fuerint *q*).

B. Explicatio.

Illud quod ſupra de monumentis montis Tak-Boſtan innuimus, multa in iis accuratius perſcrutanda futuris peregrinatoribus reſtare, multo magis de antiquitatibus montis *Biſſutun* (arctiori ſc. ſenſu) valet. Quam maxime hoc dolemus, quandoquidem digniora etiam illis eſſe nobis videntur, quae diligentiori examini ſubiiciantur. Hoc unico tantum loco *Arſacidarum veſtigia* monumentis deprehendimus. Nec tamen eorum ſunt omnia, alia enim ad Achaemenidas, alia ad Saſſanidas pertinent. Trium igitur illarum veteris imperii Perſici periodorum monumenta hoc uno loco inveniuntur, nobisque teſtes ſunt ſatis certi, inde a prima aetate usque ad noviſſima tempora hanc regionem

l) OLIVIER. III. 25. KINNEIR. p. 131.
m) BEMBO, *diſſert.* p. 65.
n) *Memoires de l'acad.* T. II. p. 191.
o) Pl. 40. F. 3.
p) p. 131.
q) OLIVIER. III. p. 26.

nem, tam incolarum frequentia, quam regum praesentia inclarnisse *a*). Quam ob rem maximo usui foret rei literariae harum antiquitatum accurata descriptio et delineatio; qua vero utraque quum iam temporis egeamus, pauca modo de iis proferri possunt; subsistendum fere erit in eo, ut unicuique earum parti, quoad aetatem, locum suum tribuamus.

1. *Sassanidis* tribuendus est columnae apex. Quamquam figurarum in eo exhibitarum vestitus et cultus, capitis ornamentum, aliaeque partes vel inscitia artis, vel quod valde temporis iniuriam expertae erant, tales in pictura exhibitae sunt, quales fuisse vix credibile est, supersunt tamen in eo vestigia, ex quibus vera colligas; globi formam haud plane ignoras; annulus a quo fasciae dependent, quem manu tenet figura, in averso apicis latere obvia, torques, zona, ex Olivieri testimonio gemmis ornata, aliaque Sassanidarum ornamenta sunt. Ad eandem aetatem pertinet quoque inscriptio, cuius supra, loco 2., mentionem fecimus.

2. Ad *Arsacidarum* tempora pertinent inscriptionis Graecae reliquiae, quas ex Bembonis effigie ita exhibet de Sacyus *b*).

ΣΑΤ . . . . . .
. . . . . ΓΩΤΑΡΖ . . . . . Ε . .
. . . ΜΙ . . . . . .
. . ΜΕΤΑ ΜΙΘΡΑΖ . . . . . ΗΣ . .

Quae verba quamquam non sufficiant ad sententiam integram certo restituendam, de sensu tamen in universum acute, ut semper, coniecturam preposuit de Sacyus. Ex eius opinione literae σατ . . . . reliquiae sunt vocabuli σατραπης. Vocabulum γωταρζ ignorari nequit; sed Gotarzes non fuit Satraps sed Arsacidarum XXI, qui inde ab anno 47 p. Chr. regnavit, deinde alterum vocabulum ab altero spatio satis magno distat, ita ut non modo Satrapis nomen sed alia quoque verba adfuisse videantur. Ex Tacito *c*) scimus, Gotarzem rem

a) Et Arabes sui memoriam hic reliquerunt, teste enim *Kinneiro* p. 131. characteres Arabici hic obvii sunt.

b) *Memoires de litterature* II. p. 191. Olivierus quoque haec inscriptionis rudera exhibet Tab. XL. Fig. 2., parum vero accurate singula verba disponit.

c) *Ann.* XII. c. 14.

rem habuisse cum Meherdate vel Mithradate, deque eo victoriam reportasse. Huius Mithradatis nomen ex parte deprehendisse sibi videtur de Sacyus in vocabulo μιθραις, ultima litera paululum mutata. Quae quum sic se habeant, putat vir cl., satrapem quendam, in huius victoriae de Meherdate reportatae memoriam, Gotarzi regi monumentum condidisse *d*). — Arsacidarum tempori tribuendae quoque videntur istae effigies, loco 2 descriptae, quarum una manu tenet minoris formae figuram, tubam inflantem, quae quidem Victoriolam fortasse refert, ad victoriam Gotarzis alludentem. Similis figura in Parthorum numis saepius obvia est.

3. *Achaemenidarum* aevo tribuendum est anaglyphum, loco 3 descriptum, quod ex ea aere Olivieri sistit Tab. nostra VIII. Fig. b. Figurarum habitus, et vestitus, quo simillimae sunt Persepolitanis, et inscriptio cuneiformis, quae super iis spectatur, de earum aetate omnem dubitationem eximunt. Ridiculum est quod de harum figurarum significatione profert *Gardanne e*): "*plus loin sur un rocher élevé, on voit une croix et les douze Apôtres sculptés.*" Aeque tamen ridiculus est error, quem in Gardannio vituperando committit *Inglisius f*), vix ignoscendum esse, dicens, Gardannio, quod nostris praecipue temporibus, in monumentis, quae Sassanidarum temporibus esse tribuenda, luculenter demonstraverit de Sacy, crucem agnoverit et duodecim apostolos. De Sacyus hoc monumentum, in priori sua de antiquitatibus urbis Kirmanschah disquisitione, nec explicavit, nec explicare potuit, quum primam paulo accuratiorem eius notitiam debeamus Oliviero; neque, si explicare potuisset, ad Sassanidarum tempora retulisset, quae ab hac aetate aeque ac omnia Persepolitana abhorrent. Similitudo aliqua huic anaglypho intercedit cum Tab. Chardini LXIII., quare simile argumentum utrique effigiei subesse coniicerem. Rex enim hic sella sedet, Feruerus ei inpendet, plures homines ad regem adducuntur; legatorum admissio, ni fallor, repraesentatur.

Attentione dignissimum est, quod sepulcrum simile Persepolitanis hoc ipso loco invenisse contendit Olivierus. Mons ipse sepulcrorum

d) *Memoires de litterature* II. p. 192.

e) *Iournal d'un voyage* p. 83.

f) MR. ROBERT HARRY Inglis, in *Morier* p. 396.

rum usui quam maxime respondebat; quum enim rupes ad amussim fere esset perpendicularis, minori egebat hominum opera. Quid igitur, num et hîc mons fuit sepeliundis regibus destinatus? Eius modi conclavia, similia ea cryptis Nakschi Rustam, ad vicum Sahaneh, quatuor milliaria inde a monte Bissutun orientem versus, invenit Kinneirus *g*), quae solummodo scalarum opera, quippe ita sublimia erant, examinare potuit. Utraque regio haud procul distabat a veteribus Ecbatanis. Mons Bissutun situs erat ad viam, quae a Babylone Ecbatana ducebat, omnium itaque praetereuntium oculis obiecta erant praeclara illa artis opera; ostentationis igitur consilio vix alia regio melius respondebat. Sed abstinendum est a coniecturis, donec peregrinatores certiora renunciaverint.

CAPUT IV.

Rudera urbis Kengaver.

Undecim milliaria ab urbe Hamadan, tredecim a Kirmanschah, sita est, sub 47° 15′ longit. et 34° 32′ latit., parva nunc urbs *Kengaver*, memorabilis ob templi aut palatii rudera, quorum descriptionem debemus Oliviero *a*) et Kinneiro *b*). In parvo colle, praeter aggeris cumulos et murorum collapsorum ruinas, fundamenta reperiuntur aedificii quadrangularis, cuius longitudo ducentos et quinquaginta passus, latitudo octodecim ulnas aequat. Muri, ut pars eorum superstes fidem facit, constructi sunt lapidibus caesis sine caemento iunctis. Muris superstructae fuere pilae, quarum nonnullae ex inferiori parte integrae restiterunt; longe plurimae vero earum iam collapsae et quaquaversum sparsae aedificii pristinum splendorem satis indicant. Columnarum maiorum aliae amplexu sunt sedecim pedum; capitula in transversum efficiunt octo circiter pedes. Numerus earum ex incolarum testimonio fuit olim quadringentarum. — Nomen Kengaver antiquitatem redolet; parum vero de ea

g) p. 131.
b) p. 129.
a) III. p. 27.

ea antiquitus innotuit. Apud solum Isidorum Characenensem *c*) inter scriptores occidentales, eius vestigium invenisse memini; ille haec habet. Ἐντεῦθεν ἡ Μηδία ἡ ἄνω, σχοῖνοι λη', καὶ ἄρχεται εὐθὺς πόλις Κογκαβάρ, ἔνθα Ἀρτέμιδος ἱερὸν, σχοῖνοι γ'. Ex nominis similitudine, exque ruderum situ apparere mihi videtur, esse urbis Koncabar quae rudera supra descripsimus. De eorum aetate et autore nihil proferre audeo, nam, praeter Isidorum, apud solum Abulfedam *d*) urbis mentionem inveni.

CAPUT V.

Ecbatana.

I. De Ecbatanis in universum.

Veteris Mediae urbs capitalis fuere *Ecbatana* (τὰ Ἐκβάτανα). Vera nominis scriptura fuisse videtur Ἀγβάτανα, ita enim scriptum exhibent vocabulum Herodoti codd. mss. optimi *a*), eademque ratione veterum multi, inter quos Ctesias *b*), urbem appellant. Quod quidem nomen ex murorum coloris varietate ortum putat Bochartus *c*), quia Arabice الاغبة *vario colore distinctus fuit* significat, Ecbatana vero dicebantur ipsa moenia tot coloribus interstincta *d*). Aliunde Relandus, ut supra vidimus *e*), vocabulum derivandum putat. Ut in omnibus perantiquis veterum scriptorum ingenium luxuriavit, ita Ecbatanorum quoque origo ab iis ad fabulosa tempora refertur. Diodorus Siculus *f*) ex auctoritate Ctesiae, antiquiora

c) *Geographi Minores* ed. Hudson II. p. 6.

d) BÜSCHING'S *Magazin* V. p. 323. *ait Moschterek, Kenkewar aut et Kenkowar appellatur, et est urbecula inter Kermisin et Hamadaan.*

a) Cf. I. 93. III. 92. ibique Wesselingius.

b) Teste Stephano Byzantino s. h. v.

c) *Opp. omnia* (Lugd. Batav. 1692.) p. 196.

d) HERODOTUS I. 98. *e*) p. 66.

f) II. 13. παραγενομένη (sc. Σεμίραμις) εἰς Ἐκβάτανα πόλιν ἐν πεδίῳ κειμένην, κατεσκεύασεν ἐν αὐτῇ πολυτελῆ βασίλεια.

quiora ea facit temporibus Semiramidis. In libro Iudith *g*) Arphaxad Medorum rex, Nebuchodonozori aequalis, Ecbatana condidisse narratur. Maiori fide dignus esse videtur Herodotus *h*), qui urbis originem ad Deiocem, primum Medorum regem (710-657 ante Chr. n.) refert. Plinius *i*) contendens, Seleucum Nicatorem urbis esse auctorem, non audiendus, nisi eo usque modereris illud testimonium, ut restaurata intelligas a Seleuco Ecbatana; urbium enim restauratores saepe earum apud veteres audire conditores, res nota. Maxima fuit, ditissima et clarissima Orientis urbs; utrum Medorum tempore an Persarum imperio florente celebrior, vix dicas: nam Medorum regia sedes fuit et metropolis, atque Persarum reges duos ibi menses aestivos morabantur *k*). Eusebius *l*) urbem appellat *μεγάλην καὶ περιβόητον*. Polybio *m*) videtur haec urbs *πλούτῳ δὲ καὶ τῇ τῆς κατασκευῆς πολυτελείᾳ μέγα τι παρὰ τὰς ἄλλας διενηνοχέναι πόλεις*. Diodorus Siculus *n*) auctor est, *θησαυροὺς πολλῶν χρημάτων* Ecbatanis fuisse. Secundum Isidorum Characenensem *o*) *θησαυροφυλάκιον* ibi fuit. Claram superin reddiderunt hanc urbem, teste Iosepho *p*), sepulcra regum. Quo tempore splendida Ecbatanorum arx interierit, discimus ex Polybio *q*), qui testis est, laminarum argentearum et aurearum plerasque ablatas fuisse adventu Alexandri. Eadem firmat Aelianus *r*), dicens, Alexandrum ob moerorem, quem ex morte Hephaestionis ceperit, urbem Ecbatanorum circumabrasisse et murum eius sustulisse, ut, quemadmodum habet Plutarchus *s*), *δοκοῖεν αἱ πόλεις πενθεῖν ἀντὶ τῆς πρόσθεν μορφῆς κείριμον*

g) I. 1.

h) I. 98.

i) VI. 13.

k) Xenophon, *Cyrop.* VIII. 6. 22. *τὴν ἀκμὴν τοῦ θέρους*. Aelianus (*Var. hist.* X. 6.) qui *per hiemem* reges ibi morari consuesse, auctor est, errat; refragatur enim coeli temperies. Cf. Kinneir. p. 126.

l) *Chronic.* I. p. 37.

m) X. 24.

n) XVII. c. 110.

o) *Geographi Min.* ed. Hudf. T. II.

p) *Antiquitates Iud.* X. 11. §. 7. Attentione dignissima sunt, quae supra (p. 142.) ex peregrinatorum nuntiis adtulimus, quippe quae aliquam fidem addunt Iosephi testimonio, in quo omnibus errasse videbatur auctor.

q) X. 24.

r) *Var. Hist.* VII. 8.

s) *Vita Pelopidae.*

ριμον σχῆμα καὶ ἄτιμον ἀναλαμβάνεσαι. Pari modo Antigonus et Seleucus Nicanor, quum rerum potirentur, quae adhuc essent diripienda, abstulerunt. Tanta vero fuit divitiarum copia, ut ne per illos quidem exhauriri posset; adhuc enim quo tempore Antiochus Magnus *t*) eo venit, fanum Aenae columnas circa habuit deauratas et tegulas plures argenteas, lateres quin etiam restabant aurei nonnulli, argentei vero multi. Ex omnibus illis pecunia conflata est, regia imagine signata, ad summam quatuor talentorum millium *u*). Neque tunc iam prorsus eversa est urbs, nam Parthorum quoque regia sedes fuit *v*). Post horum vero imperium silet de Ecbatanis historia.

II. Singulae de quibus innotuit Ecbatanorum partes.

1. Muri.

Teste Herodoto *w*), Deioces rex creatus aedificia sibi erigi iussit regno digna, itemque oppidum condi. Obsequentibus Medis, moenia constituit ampla et valida, numero septem (ea ipsa quae postea Ecbatana appellabantur), quorum orbis alter altero pinnis vario colore distinctis erat excelsior. Ambitus isti simul omnes numero erant septem, in quorum postremo regia et thesauri. Eorum maximus, teste Herodoto, magnitudine aequabat Athenarum ambitum

t) Anno 223 ante Chr. n., expeditione per Mediam in Parthiam suscepta contra Arsacem. Cf. VAILLANT, *Seleucidarum imperium* p. 99.

u) POLYBIUS. l. c.

v) STRABO. XI. p. 795 et XVI. p. 1079.

w) HERODOT. I. 98. πειθομένων ταῦτα τῶν Μήδων, οἰκοδομέει τεῖχεα μεγάλα τε καὶ καρτερὰ ταῦτα, τὰ νῦν Ἀγβάτανα κέκληται, ἕτερον ἑτέρῳ κύκλῳ ἐνεεῶτα. μεμηχάνηται δὲ οὕτω τῆτο τὸ τεῖχος ὥςε ὁ ἕτερος τῇ ἑτέρῃ κύκλος τοῖσι προμαχεῶσι μούνοισί ἐςὶ ὑψηλότερος. τὸ μέν κε τι καὶ τὸ χωρίον συμμαχέει, κολωνὸς ἐὸν, ὥςε τοιῆτο εἶναι· τὸ δὲ καὶ μᾶλλόν τι ἐπεπηδεύθη, κύκλων ἐόντων τῶν συναπάντων ἑπτὰ, ἐν δὲ τῷ τελευταίῳ τα βασιλήια ἔνεςι καὶ οἱ θησαυροί. τὸ δὲ αὐτῶν μέγιςόν ἐςι τεῖχος κατὰ τὸν Ἀθηναίων κύκλον μάλιςά κη τὸ μέγαθος. τῇ μὲν δὴ πρώτῃ κύκλῳ οἱ προμαχεῶνες εἰσὶ λευκοί· τῇ δὲ δευτέρῃ, μέλανες· τρίτῃ δὲ κύκλῳ, φοινίκεοι τετάρτῃ δὲ, κυάνεοι· πέμπτῃ δὲ, σανδαρακινοί. οὕτω πάντων τῶν κύκλων οἱ προμαχεῶνες ἠνθιςμένοι εἰσὶ φαρμάκοισι· δύο δὲ οἱ τελευταῖοί εἰσι ὁ μὲν καταργυρωμένες, ὁ δὲ κατακεχρυσωμένες ἔχων τὲς προμαχεῶνας. Ταῦτα μὲν δὴ ὁ Δηϊόκης ἑωυτῷ τε ἐτείχεε καὶ περὶ τὰ ἑωυτῆ οἰκία. τὸν δὲ ἄλλον δῆμον περιῆξε ἐκέλευε τὸ τεῖχος οἰκέειν.

tum *x*), ſecundum Diodorum Sic. *y*) ducenta et quinquaginta ſtadia efficiebat. Repugnantem habuere nonnulli viri docti Herodotum aliis ſcriptoribus, e. c. Polybio *z*), claris verbis contendenti, Ecbatana muris caruiſſe. Quae quidem teſtimonia ſibi contraria concilianda videbantur iis, qui interiiſſe contendebant Deiocis muros tempore Polybii; ſed hoc, licet fidem nullam habeas auctori libri Iudith *a*), teſtanti, ex lapidibus caeſis Ecbatanorum muros conſtitiſſe, parum credibile eſt. Diſſenſionem ego Herodoti cum aliis ſcriptoribus nullam agnosco, modo recte interpreteris locum ſupra laudatum. Nimirum Deioces, ex illo teſtimonio, aedificia *ſibimet ipſi* (ἑωυτῷ) erigi iuſſit imperio digna; item murorum deſcriptioni addita ſunt verba: "ταῦτα (ſeptem ſcilicet illos murorum ambitus) ἑωυτῷ τε ἐτείχεε, καὶ περὶ τὰ ἑωυτοῦ οἰκία" ceterum vero populum habitare iuſſit *circa munimentum* (πέριξ τὸ τεῖχος). Pro *ſeptem muris* coniunctim, ideoque pro *toto munimento* dictum accipio vocabulum τεῖχος. Niſi enim hanc ineas rationem, intelligi nequit, ad quemnam murorum ambitum referendum ſit vocabulum τεῖχος, quum ſtatim ſeptem murorum deſcriptionem apud Herodotum excipiat. Quae quum ita ſint, arcem ſolam, una cum aedibus ad eam pertinentibus, ſeptem illis muris cinctam fuiſſe puto. Sententiae huic inſigniter favet ratio, qua antiquiſſimae Orientis urbes oriebantur. Urbibus condendis anſam dabant caſtra ſtativa, quorum aliquam partem, qua ſcilicet rex cum ſuis commorabatur, muris cingebant, et contra ingruentium hoſtium vim muniebant. Primam haec et primariam novae urbis partem efficiebat, quae arcem, regiam et ſacra complectebatur. Reliqua vero, quae advenientibus incolis accrescebat, urbs, nullos certos habuiſſe videtur fines.

x) Athenarum ambitum Thucydides definit ſtadiis CLXXVIII.

y) XVII. 110. *z*) X. 24.

a) I. 1. Ἀρφαξὰδ ᾠκοδόμησεν ἐπ' Ἐκβατάνων καὶ κύκλῳ τείχη ἐκ λίθων λελαξευμένων, εἰς πλάτος πηχῶν τριῶν, καὶ εἰς μῆκος πηχῶν ἓξ, καὶ ἐποίησε τὸ ὕψος τῆ τείχεϊ πηχῶν ἑβδομήκοντα, καὶ τὸ πλάτος αὐτῆ πηχῶν πεντήκοντα, καὶ τὲς πύργες αὐτῆ ἔθηκεν ἐπὶ ταῖς πύλαις αὐτῆς πηχῶν ἑκατὸν, καὶ τὸ πλάτος αὐτῆς ἐθεμελίωσεν εἰς πήχεις ἑξήκοντα, καὶ ἐποίησε τὰς πύλας αὐτῆς πύλας διεγειρομένας εἰς ὕψος πηχῶν εβδομήκοντα, καὶ τὸ πλάτος αὐτῶν πήχεις τεσσαράκοντα εἰς ἐξόδες δυνάμεων δυνατῶν αὐτῆ, καὶ διατάξεις τῶν πεζῶν αὐτῆ.

fines. Eſt enim mos nomadum, quos dicunt, ad fixas ſedes nuper admodum redactorum, ut modo accedant ad urbem inhabitandam, modo eandem relinquant. Qua in re cauſam invenio, cur plurimae Orientis antiquae urbes muris circumſeptae non fuerint, e. c. Paſargadae, Suſa, aliaeque. Quum enim incolarum multi perinde ſedes mutarent, ſuperfluum fuiſſet ſpatium aliquod muris claudere, quod iam non expleviſſet incolarum multitudo, iam longe ſuperaſſet. Adde, quod parum circumſpecte egiſſet Deioces, ſi populum adhuc barbarum, venationi et pecuariae deditum, muris ſubito coërcere ſtuduiſſet, nihil hoc aegrius toleraturum. Sed, reponis mihi, inmenſus murorum ambitus, quatuor milliariorum Germanicorum, maior eſt, quam qui conveniat arci ſoli? Reſpondeo, ſpatium, quod includebatur illo munimento, multo minori fuerit ambitu neceſſe eſt, quum ſeptem eſſent muri, intervallo fortaſſe haud parvo invicem conſtituti; adde quod in eorum extimi amplitudine definienda veritatem fortaſſe paulo excurrit Herodotus, qui ipſe Ecbatana non vidit. Arcem vero non parvum ſpatium ſibi poposciſſe, inde prodit, quod plura ſimul aedificia continuit, quorum regia ſola ſeptem ſtadiorum ambitu fuit. Ecbatanorum arcem ſolam ſi muris illis cinctam intelligimus, facile et alia tollitur diſſenſio, inter Herodotum dicentem, muros collem occupaſſe, et Diodorum Siculum *b*), in planitie Ecbatana ſita teſtantem. Arx ſcilicet collem occupabat, dum urbis reliqua pars in planitiem excurrebat.

Quod ad totam Herodoti de Ecbatanorum muris narrationem attinet, non defuerunt, qui rem ut figmentum reiiceré voluerint *c*); ſagaciſſime vero cl. Creuzerus *d*) contendit, Deiocem per ſeptem Ecbatanorum muros planetas repraeſentare voluiſſe. Eandem quodammodo ſententiam mihi informavi: murorum ſcilicet numerus, colorumque diverſitas cauſam mihi habere videtur in Perſarum ſyſtemate planetarum, quamquam non contenderim, ſymbolice planetas ſiſtere voluiſſe Deiocem. Perſuaſit hoc mihi primum murorum numerus: ſeptem fuere Ecbatanorum ambitus, ſeptem fuit planetarum

b) II. c. 13.

c) Inter eos eſt Mannertus (V. 162.).

d) *Symbolik u. Mythol.* II. p. 216.

tarum numerus; septem fuere numina quibus nomen *Amschaspand e)*, septenarius hinc numerus apud Persas erat sanctus *f)*. Saepius planetae non modo symbolice repraesentabantur, sed ad eorum numerum res quaedam componebantur. Exempla planetarum in Persia sist ndorum multa attulit Dupuisius *g)*. Et in Graecia eundem morem obtinuisse, ex Pausania probat Creuzerus *h)*. Convenit denique planetarum, qui habebatur color et natura cum eo, quo insigniti erant muri. Ad quam rem probandam maxime facit locus apud Originem *i)*, quo exponitur, fuisse symbolum apud Persas, per quod explicare consueverint Mithrae mysteriis initiatis animi per planetas transitum; quod quidem signum fuisse scalam aliis super alias portis in altum surrectam; diversas portas diverso metallorum genere constitisse, prout planetarum, quorum alii alia porta fuisset, natura et color poposcisset. Qua in re gravissimum est, quod unicuique planetae, vel ex stellae ipsius natura, vel ex metallorum genere unicuique stellae attributo, proprius fuit color *k)*. Comparanti vero planetarum colorem cum eo, quo insignitae fuerunt Ecbatanorum murorum pinnae, singularis occurrit utriusque consensus. Primi ambitus pinnae fuerunt *colore albicante* (*προμαχεῶνες λευκοί*), qui color fuit Iovis et stanni eidem attributi. Pinnae secundi ambitus *nigro colore* fuerunt (*πρ. μέλανες*); eadem species fuit Saturni eiusque metalli, plumbi. Pinnae tertiae fuerunt *purpureae* (*πρ. φοινίκεοι*), perinde color ignis, Martis fuit. Ferrum

e) ZEND-AVESTA, von *Kleuker*, *Anhang* I. 1. p. 129. 239 et I. 2. p. 293 sqq.

f) ZEND-AVESTA, von *Kleuker*, *Anhang* II. 3. p. 110.

g) *Origine de tous les cultes* III. 1. p. 211-213. III. 2. p. 304.

h) PAUSANIAS, *Laconic.* c. 20. CREUZER l. c.

i) ORIGINES, *contra Celsum* VI. p. 290. ed. Cantabrig. 1677. *κλίμαξ ὑψίπυλος, ἐπὶ δ' αὐτῇ πύλη ὀγδόη· ἡ πρώτη τῶν πυλῶν μολίβδε, ἡ δευτέρα κασσιτέρε, ἡ τρίτη χαλκῆ, ἡ τετάρτη σιδήρε, ἡ πέμπτη κεραστῆ νομίσματος, ἡ ἕκτη ἀργύρε, χρυσῆ δ' ἡ ἑβδόμη. Τὴν πρώτην τίθενται Κρόνε, τῷ μολίβδῳ τεκμηριώμενοι τὴν βραδυτῆτα τῆ ἀςέρος· τὴν δευτέραν Ἀφροδίτης, παραβάλλοντες τὸ αὐτῇ φαιδρόν τε καὶ μαλακὸν τῆ κασσιτέρε· τὴν τρίτην τῆ Διὸς, τὴν χαλκοβάτην καὶ ςερράν· τὴν τετάρτην Ἑρμῆ, τλήμονα γὰρ ἔργων ἁπάντων, καὶ χρηματιςὴν, καὶ πολύμηχανον εἶναι, τόν τε σίδηρον καὶ τὸν Ἑρμῆν· τὴν πέμπτην Ἄρεος, τὴν ἐκ τῆ κράματος ἀνώμαλόν τε καὶ ποικίλην· ἕκτην Σελήνης, τὴν αργυρᾶν· ἑβδόμην Ἡλίε, τὴν χρυσῆν, μιμέμενοι τὰς χρόας αὐτῶν.*

k) DUPUIS, *origine etc.* III. 2. 308.

rum secundum Dupuisium, mixtum numisma autore Origine, metalla fuerunt Marti attributa; quorum neutrum, quoad colorem, quadrat; alterum ad belli armorumque Deum referendum videtur, alterum Marti tributum dicit Origines, propter mixturam inaequalem et variam. Quarti ambitus pinnae *caeruleae* fuerunt (πρ. κυάνεοι). Idem quodammodo fuit color Mercurii, eiusque nominis metalli. Quintus ambitus pinnarum colorem retulit *sandaracinum* (πρ. σανδαράκινοι), quem rubri genus esse volunt; idem et color aeris cypri Veneri addicti. Ambitus sextus *argentatas* (καταργυρωμένους), septimus *auratas* (καταχρυσωμένους) pinnas habuit; eadem metalla, metallorumque colores, tribuebantur Lunae et Soli. Quae quum ita sint, vix mihi persuadere possum, casu tantum evenisse, ut haec omnia plerumque quadrent cum Persarum systemate planetarum. Neque tamen auctor murorum planetas symbolice sistere voluisse videtur, quippe qui tunc in singulis accuratior esse debuisset; ante omnia vero in muris illis exornandis, coloribusque distinguendis, ordinem tenere debuisset, quo in coelo feruntur planetae. Consilium igitur modo agnosco conditoris, qui imbutus illo planetarum systemate, ad eius rationem muros composuit et exornavit, quos alius, systemate illo non imbutus, in alium modum adornasset.

2. *Arx seu castellum.*

Arx Ecbatanorum in summo murorum ambitu sita, firmissime fuit munita, autore Polybio *l*). Divitiarum maximam copiam continuit. Isidori Θησαυροφυλάκιον vel ipsa fuit arx, vel eiusdem pars.

3. *Regia.*

Arci subiacebant τὰ βασίλεια septem stadiorum circuitu, quae summam in omnibus rebus magnificentiam prae se ferebant. Tota regia constructa erat e cedro aut cupresso; trabes vero, lacunaria et columnae laminis partim argenteis partim aureis circumamictae. Perinde et tegulae argenteae fuerunt *m*). His similia refert Aristo-

l) l. c. ἄκραν χειροποίητον ἔχει θαυμασίως πρὸς ὀχυρότητα κατασκευασμένην.

m) POLYBIUS X. 24. Ἔτι γε τὰ βασίλεια τῷ μὲν μεγέθει σχεδὸν ἑπτὰ σταδίων ἔχοντα τὴν περιγραφήν, τῇ δὲ τῶν κατὰ μέρος κατασκευασμάτων πολυτελείᾳ μεγάλην ἐμφαίνοντα τὴν τῶν ἐξ ἀρχῆς καταβαλλομένων εὐκαιρίαν. Οὔσης

Aristoteles vel potius Nicolaus Damascenus de mundo *n*), qui locus Apuleio interprete sic se habet: "Quum apud Susam et Ecbatanas; ut in fano quodam sacratus, nulli temere notitiam oris sui panderet, (rex sc. Persarum), sed circumseptus admirabili regia, cuius tecta fulgerent eboris nive, argenti luce, flammis ex auri vel electri claritate. Limina vero alia prae aliis erant. Interiores fores, exteriores ianuae imminebant, portaeque ferratae et muri adamantina firmitate."

4. *Templum Anaïtidis.*

Ex Polybii regiae et huius templi coniuncta descriptione iure colligitur, fanum Anaïtidis regiae fuisse contiguum. Ἡ Ἀναϊτις (quam scripturam pro vero Deae nomine habet Sylburgius) *o*) diverso nomine Ἀναΐς, Ἄινη, Ἀναία, Ναναία appellabatur. Fani mentionem iniicit Isidorus Characenensis *p*) "Ἀποβάταναι μητροπόλις Μηδίας καὶ θησαυροφυλάκιον καὶ ἱερὸν ὅπερ Ἀναϊτίδος ἀεὶ θύεσι." Apobatana eandem esse urbem ac nostra Ecbatana, docent ea ipsa quae adiecta sunt. In eodem templo, testibus libris Maccabaeorum *q*), Antiochus interfectus est. Repugnant vero alii scriptores. Templi magnificentiam discimus ex Polybio: adhuc enim, quo tempore eo venit Antiochus, auri et argenti ibi fuit magna copia *r*). De Anaïtide eiusque fanis videndus Strabo *s*). Graeci ex vulgari suo more, secundum quem diis exteris ipsorum numinum addere solebant nomina,

Οὔσης γὰρ τῆν ξυλίας ἁπάσης κεδρίνης καὶ κυπαριττίνης, οὐδεμίαν αὐτῶν γεγυμνῶσθαι συνέβαινεν, ἀλλὰ καὶ τὰς δοκοὺς, καὶ τὰ φατνώματα, καὶ τὲς κίονας τὲς ἐν ταῖς στοαῖς καὶ περιςύλοις, τὲς μὲν ἀργυραῖς, τὲς δὲ χρυσαῖς λεπίσι περιειλῆφθαι, τὰς δὲ κεραμίδας ἀργυρᾶς εἶναι πάσας.

n) PSEUDO ARISTOTELES, *de mundo*. c. 6. Αὐτὸς μὲν γὰρ, ὡς λόγος, ἵδρυτο ἐν Σέσοις ἢ Ἐκβατάνοις, πάντι ἀόρατος, θαυμαςὸν ἔχων βασίλειον οἶκον, καὶ περίβολον χρυσῷ καὶ ἠλέκτρῳ καὶ ἐλεφαντι ἀςράπτοντα· πυλῶνες δὲ πολλοὶ καὶ συνεχεῖς, πρόθυρά τε συχνοῖς εἰργόμενα ςαθίοις ἀπ' ἀλλήλων, θύραιςε χαλκαῖς καὶ τείχεσι μεγάλοις ὠχύροτο.

o) *Ad Brissonium* p. 302. *p*) *Geogr. Min.* ed. Hudson. p. 6.

q) II. MACCAB. I. 13.

r) Κατὰ τὴν Ἀντιόχε παρουσίαν ὅ τε ναὸς αὐτὸς, ὁ τῆς Ἄινης προσαγορευόμενος, ἔτι τὲς κίονας εἶχε τὲς περὶξ κεχρυσωμένους, κεραμίδες ἀργυραῖ, καὶ πλείους ἐν αὐτῷ συνετέθειντο, πλίνθοι δὲ χρυσαῖ τινὲς ὀλίγαι μὲν ἦσαν, ἀργύραῖ δὲ καὶ πλείους ὑπέμενον. POLYB. l. c.

s) p. 779. 805. 838.

mina, Anaitidem modo per Artemin vel Dianam, modo per Venerem interpretati sunt *t*). Hinc apparet, ad idem fanum esse referenda, quae habet Plutarchus *u*), Ἄρτεμις ἡ ἐν Ἐκβατάνοις ἣν Ἀνεῖτιν καλοῦσιν, et Clemens Alexandrinus in προτρεπτικῷ, de Artaxerxe loquens, ὃς πρῶτος τῆς Ἀφροδίτης Ταναΐδος τὸ ἄγαλμα ἀνασήσας ἐν Βαβυλῶνι καὶ Σούσοις, καὶ Ἐκβατάνοις, Πέρσαις καὶ Βάκτροις, καὶ Δαμασκῷ καὶ Σάρδεσιν, ὑπέδειξε σέβειν *v*).

5. *Turris Danielis.*

Cum Danieles insignis adeo esset clarusque, praecipue quod Deo charus existimaretur, turrin *w*) aedificavit Ecbatanis Mediae, opus elegantissimum et arte mirabili constructum, quae adhuc Iosephi aetate exstabat et novitatis speciem ac formae vigorem integrum prae se ferebat *x*). Haec quae habet Iosephus, eadem refert Hieronymus *y*), iisdem fere verbis, hac una re diversus, quod quae Ecbatanis Iosephus, Susis ipse locat *z*). Totam Iosephi narrationem ut fabulam reiicit Scaliger *a*). Aliter videtur Bocharto *b*), qui Darium huius monumenti auctorem habet, eundem vero in operis oeconomia et architectura adiutum putat Danielis opera et consilio. Parum fidei toti narrationi esse habendum inde colligo, quod addit Iose-

t) ZEND-AVESTA, von *Kleuker*, *Anhang* II. 3. p. 67.

u) *Vita Artaxerxis* c. 27.

v) Pro Ταναΐδος iure legendum censet *Sylburgius* Ἀναΐτιδος, *ad Brissonium* p. 362.

w) Sic enim vertendum putaverim vocabulum βάρις quod hac ratione interpretatur *Hesychius*: βάρις, πλοῖον, ἢ τεῖχος, ἢ σοὶ, ἢ πύργος.

x) IOSEPHUS, *antiquitates Iudaicae* X. 11. §. 7. Δανιήλος ᾠκοδόμησεν ἐν Ἐκβατάνοις τοῖς Μηδικοῖς βάριν, εὐτρεπέστατόν τι κατασκεύασμα καὶ θαυμασίως πεποιημένον, ἢ μέχρι δεῦρο μέν ἐστι καὶ σώζεται· τοῖς δ' ὁρῶσι δοκεῖ προσφάτως κατεσκευάσθαι, καὶ ἐπ' αὐτῆς ἐκείνης ἧς ἕκαστος αὐτὴν ἡμέρας ἰσορεῖ, γεγονέναι· οὕτως νεαρὸν αὐτῆς καὶ ἀκμαῖον τὸ κάλλος, καὶ μηδαμῇ γεγηρακὸς ὑπὸ τοσούτου χρόνου.

y) *In Danielem* c. VIII.

z) HUETIUS, *demonstratio evang.* p. 406.

a) *De emendatione temporum* (Genev. 1629.) *prolegom.* p. 27.

b) *Opp.* p. 197.

Iosephus *c*), moris esse, ut reges Medorum Persarum et Parthorum in ista turri sepelirentur. Persarum regum sepulcra, quoad eorum formam, quam maxime recedere a turri ista, docent quae supra de sepulcris adtulimus. Parthorum vero reges sepultos fuisse Arbelis, discimus ex Dione Cassio *d*).

III. Ecbatanorum situs et reliquiae.

Ad quaestionem illam, quae regio quaeve urbs respondeat Medorum Ecbatanis, vario modo responderunt viri docti. Alii, inter quos *Gibbon* et *Iones*, hodiernam urbem *Tabris* convenire putant cum situ Ecbatanorum. Rennellius vero *e*), Mannertus *f*), Oliverus *g*), Kinneirus *h*) et alii hodiernum *Hamadan* (sub 34° 53′ lat. et 48° longit. sec. Kinn.) veteri illi urbi capitali respondere contendunt. Quam quidem rationem et equidem solam veram habeo. Pro argumentis mihi sunt:

1. Veterum de Ecbatanorum situ testimonia.

Secundum Polybium *i*) sita fuerunt Ecbatana in montana regione, quae radicibus Orontis subiacet. Cum Polybio convenit Diodorus Siculus *k*), qui stadia duodecim ab Ecbatanis abesse dicit Orontem *l*). Eundem situm urbi tribuit Ptolemaeus. Secundum Isidorum Characenensem sita fuere Ecbatana ea via, quae a Seleucia in Parthiam ducebat *m*). Auctore Plinio Susa aeque distabant ab Ecbatanis atque Seleucia. Adiungas denique coeli bonam temperiem,

c) l. c. θάπτεσι δ' ἐν τῇ βάρει τὰς δὲ Μήδων βασιλεῖς, καὶ Περσῶν καὶ Πάρθων, ἄχρι τοῦ δεῦρο· καὶ ὁ ταύτην κατεσκευασμένος Ἰουδαῖός ἐστιν ἱερεύς· καὶ τοῦτο γίγνεται μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας.

d) p. 1308 et 1334. ed. Reimari.

e) *Geograph. Syst. of Herodotus* p. 272.

f) V. p. 160. *g*) III. p. 30.

h) p. 125.

i) X. 24. ὑπὸ τὴν παρωρείαν τὴν παρὰ τὸν Ὀρόντην.

k) II. 13.

l) Mons *Orontes* iam dicitur *Elwiud*, cf. KINNEIR. p. 126.

m) *Geographi Minores* ed. Hudson. II.

periem, soli ubertatem et regionis cuiusvis rei amoenitatem *n*), quae locum urbis Hamadan aptissimum reddunt regiae sedi, quaeque respondent plane veterum laudi, qua tollunt Ecbatana. Haec et alia, quae habes apud Rennellium, uti conveniunt cum urbe Hamadan, ita repugnant plane iis, qui ad urbem Tabris Ecbatana collocant.

2 *Antiqua Hamadani urbis fama.*

Inter urbis maxime memorabilia ostendere solent incolae peregrinatoribus sepulcrum Mardechai et Estherae *o*). Ottero teste *p*) subversa praedicatur urbs a Nebuchodonozoro, restaurata vero a rege Dara. Ex Hamdullae auctoritate Hamadanum condidit et muro firmissimo cinxit rex Schemschid; in media vero urbe arcem struxit Dara *q*). Alia incolarum fama, quam narrat Kinneirus, Hamadanum praedicat regum sedem aestivam, inde a Darii temporibus usque ad Schengiscanum. Perinde Hamdulla urbem vocat *locum regum* همدان جاي شاهان, eoque refrigerii causa aestivo tempore concedere reges contendit *r*). Haec et alia, quae de urbe praedicantur, licet ex maxima parte fabulosa sint, summam urbis antiquitatem indicant. Recentioris enim aevi urbs, cuius veram originem Persarum annales indicabant, vix ansam praebere potuit tot fabulis. Nonnisi urbs clarissima, cuiusque origo ad remotissima tempora descendit, tot mythis ortum dare solet.

3. *Antiquitates superstites.*

Indicia adhuc supersunt satis certa, quae fidem faciunt, hodiernum Hamadan situm occupare urbis antiquissimae et amplissimae. Non modo ex aggere et ruderibus, quibus urbs superstructa est *s*), certo hoc colligitur, sed testimonia clariora etiam supersunt. Inscriptionem reperit Kinneirus *t*), rupi montis *Elwind* incisam, quam Persae nominant *Gunj-Nauma* historia gazae, nomine ducto ex vulgari

n) KINNEIR. l. c. OLIVIER. III. p. 30. GOLIUS *ad Alfrag.* p. 220.
o) KINNEIR. p. 125. Sepulcri effigiem habes in: MALCOLM'S *history.* II. p. 524.
p) I. p. 182.
q) GOLIUS *ad Alfrag.* l. c.
r) GOLIUS l. c.
s) OLIVIER. III. p. 30.
t) KINNEIR. p. 126.

gari opinione, thesaurum in eius vicinio conditum esse. Inscriptionis characteres sunt cuneiformes seu Persepolitani *u*). Rudera insuper deprehendit Olivierus *v*) viarum stratarum, montem Elwind traiectarum, quae tanta arte constructae videbantur, ut earum origo neutiquam Persis hodiernis tribui possit. Aquarum denique copia a monte decurrens, quae facili opera, ut olim irrigavit urbem, ita et nunc, teste Oliviero *w*), in urbem posset deduci, ultro in memoriam revocat Semiramidem, quae, ut habet Diodorus Siculus *x*), quum aquarum inopia urbs premeretur, aquis eo largissimis et optimis multa cum molestia et impensa deductis, totam irriguam effecit. In altera enim Orontis parte quum ingens esset lacus in fluvium sese exonerans, ad radices montem perfodit. Fossae latitudo erat pedum quindecim, altitudo quadraginta. Per hanc derivato lacus amni, largas urbi aquas suppeditavit. Quamquam haud contenderim, Semiramidis operum indicia reperisse Olivierum, invenit tamen quae alium e remota antiquitate habent auctorem, quaeque ex inscitia Semiramidi tribuit Diodorus. — Cum notitia nostra de universa circa Hamadanum regione, et post Olivieri et Kinneiri labores, imperfecta sit et manca, levioris autem momenti haberi debeant, quae Tavernierus *y*) et Otterus *z*) protulerunt, non omnis, puto, spes deest, ut regionem maiori cura perscrutantes alia eaque graviora veterum Ecbatanorum indicia sint inventuri.

u) "This inscription is in the same character as those at *Tukti Iumsheed* (Tacht-Schemschid, Persepolis), *Maudir i Solimane*, and on the *Babylonian bricks*." KINNEIR: l. c.

v) III. p. 30.

w) III. p. 30.

x) II. 13.

y) I. p. 169.

z) I. p. 182.

SECTIO IV.

Media Atropatena.

Praemonenda.

Media Atropatena seu *Atropatia* nomen traxit ab Atropate duce, qui propter insignem virtutem, qua fortiter Macedonibus obstitit, eius rex factus est *a*). Limites ei constituunt ab *oriente* mare Caspium, *meridiem* versus Media Magna et Mardus fluvius, ab *occidente* Armenia et Matiana, ad *septentrionem* Albania et Cyrus fluvius *b*). Respondet fere istis finibus hodiernum *Aderbidschan c*), quod nomen originem duxit ab ignis cultu, qui, quum Zoroastris patria esset haec terra, inprimis ibi vigebat. Regiones huius provinciae, quae vergunt ad septentrionem, asperae sunt et frigidae, reliquae vero bona gaudent soli aerisque conditione *d*). Atropatenam per veteres scriptores parum percognitam habemus: nam non modo Graecorum Romanorumve nemo eam penitius adiit, sed Medis adeo Persisque parum de ea innotuisse videtur. Magnam eius partem, inprimis regiones septentrionales, gentes occupabant rapinae deditae, et nomine magis quam revera Persarum imperio subiectae, solius fortasse, praeter Cyrum, Cosrois dicto quodammodo audientes. Recentiorum peregrinatorum satis multi quidem hanc terram peragrarunt, inprimis quum, qui ante hos quinquaginta annos in Persiam proficiscebantur, per portas Caucasias eam adire solerent; ipsae vero itineris difficultates, viarumque a praedonum turba infestatarum pericula effecerunt, ut raro a viis publicis deflecterent pere-

a) STRABO p. 795. *b*) STRABO l. c.

c) KINNEIR. p. 148. — Vocabulum *Aderbidschan* ex recentiori lingua Persica interpretatur Kleukerus per *locum ignis*; eodem sensu ex sermone Zendico explicat nomen *Atropatia*. ZEND-AVESTA. II. p. 49.

d) STRABO l. c.

peregrinatores. Parum igitur, praeter istas regiones, quae adiectae sunt viis publicis, quarum una a portis Caspiis, altera ex Armenia *Taurin* ducit, de tota terra cognovimus. Quod attinet ad nostra monumenta, ex iis, quae modo diximus, quodammodo apparet, non tot quidem tamque praeclara artis opera ac in altera illa Mediae parte, in Atropatena inveniri credibile esse. Adsunt tamen nonnulla omni attentione digna: e Medorum quidem tempore, quod scimus nulla, quae reperiuntur, quorumque mentio occurrit apud veteres, si exceperis quae ad fabulosa tempora descendere faciunt scriptores, ad Persas pertinent omnia: alia Achaemenidarum, alia Sassanidarum monumenta sunt.

CAPUT I.

Gaza.

Regia Mediae Atropatenae erat *Gaza a*), apud Plinium *b*) Gazae, quod nomen inponebatur huic oppido, in quo belli opes et pecuniam vellent asservari; nam *gaza*, teste Curtio *pecunia regia* est lingua Persarum *c*). De urbis situ certiores simus per Strabonem *d*). Accuratius nos edocet Plinius *e*), qui oppidum ab Artaxatis CCCCL mill. pass., totidemque ab Ecbatanis Mediae abesse dicit; Ptolemaei *Gazaca* eadem fuisse videtur urbs, quamquam quod Ptolemaeus habet spatium, non quadrat cum Pliniano *f*). Ammiano Marcellino *g*) quoque, et Stephano Byzantino, apud quem audit πόλις μεγίστη, sub hoc nomine innotuit. De Gazae conditore nihil memoriae prodiderunt veteres. Harduinus, qui a Parthis demum appellatam eam putat, haud dubie falsus est. Quamquam Parthorum denique tempore

a) STRABO p. 794. *b*) VI. 13.

c) III. 13. Cf. HARDUINUS *ad Plinium* I. p. 312. De *gaza* (thesauro) qui congesta legere cupit veterum loca, adeat Brissonium *de reg. Pers. pr.* p. 252.

d) l. c. βασίλειον αὐχῶν; (sc. Παρθυαίων) θερινὸν μὲν ἐν πεδίῳ ἱδρυμένον Γάζα, καὶ ἐν φρουρίῳ ἱδρυμένῳ Ὀυάρα.

e) l. c. *f*) MANNERT. V. p. 145.

g) XXIII. 6.

pore regia sedes facta, ante Parthos tamen exstitit, ideoque et nomine quodam insignita fuit. *Gaza* vero vocabulum quum Persis antiquissimo tempore vel notissimum fuerit, a quibus aliis quam a Persis ipsis Gaza urbs nomen traxerit credibile est? Parthi enim Graecorum amici et aemuli (*φιλέλληνες*) si urbem condidissent, Graeco nomine, ut alias, haud dubie eam appellassent. Hinc colligo, Gazam florentibus Persarum rebus conditam, quamquam eorum tempore non prorsus quidem ignobilem, inclaruisse praecipue sub Parthorum demum imperio. Licet igitur nullo modo inter recentiora oppida debeat conseri, nec antiquitate nec amplitudine aequavit unquam Susa et Ecbatana; dum enim horum magnificentia praedicanda invicem certant auctores, Gazae vix mentio iniicitur apud hunc illumve scriptorem, eumque ne antiquissimum quidem.

Ex Plinii loco supra laudato, adhibito Ptolemaei testimonio, prodit, Gazam lacui olim *Spauto*, iam vero *Urmia* dicto versus orientem sitam fuisse. Quapropter hodiernam urbem Tabris vel Tauris locum veteris Gazae obtinere vulgo contendunt; sed male, nam nec aeque distat Tauris ab Artaxatis atque Ecbatanis, nec talia a peregrinatoribus ibi inveniuntur rudera, qualia antiquam illam urbem referre videntur. Peregrinatores quidem in eo consentiunt, multa ibi conspici rudera, neque tamen ea remotam illam aetatem prae se ferre *h*). Chardinus *i*) miratur, nulla ibi inveniri *antiqua* monumenta, Kinneirus *k*) testatur, muros ibi conspici veteris alicuius urbis, qui ex luto constarent. Materies haec non fuisse videtur murorum, quibus urbs illa capitalis, tantarum divitiarum custodia, defendebatur. Haec firmior et muris lapideis munita fuerit, verosimillimum est. Accedit quod a Persis ea condita est; qui ad exstruenda aedificia non coctilibus, ut Medi, sed lapidibus caesis utebantur, inprimis si ob loci naturam faciles erant comparatu. Gaza itaque saxis haud dubie erat structa, quae montes haud procul inde dissiti abunde praebebant. Qua de causa relinquamus Taurin eiusque aggeres et procedamus aliquot milliaria versus Mianam urbem. Chardinus *l*) media fere via inter Taurin et Mianam reliquias invenit

h) TAVERNIER I. p. 51. DES LANDES p. 10. BELL I. p. 76.

i) II. 330. *k*) p. 150.

l) II. p. 363. An haec rudera eadem sint, de quibus egere Morier (p. 271.) et Gardanne (p. 40.), ex descriptionibus perfunctoriis efficere non potui.

nit urbis cuiusdam perampiae, quam Abbasius Magnus diruisse dicebatur. Aedificia nonnulla invenit forma rotunda, lapidibus caesis structa, tantae molis, ut ne ab octo quidem hominibus possent commoveri. Heroës veteres, ex vulgari Persarum opinione, quondam hic convenerunt ad consilia habenda. Haec igitur veteris Gazae habeo rudera, digniora saltem hoc honore quibusvis aliis hac regione hucusque inventis. Dubitationem quandam iniicere posset, quod *Schach Abbas* eam diruisse dicitur, quum multo prius Gazam in ruinas esse conversam, ex omni seriorum scriptorum silentio verosimillimum sit. Sed Abbasius fortasse Gazae devastatorum ultimus fuit, qui quae alii diruenda reliquerant, quaeve ab aliis restituta erant, prorsus ad exitum vocavit.

CAPUT II.

Antiquitates urbis Maraga.

Maraga urbs sita est secundum tabulas geographicas Nasseredini sub 46° 25′ longit. 37° 20′ latit. *a*). Distat a lacu Urmia veterum Spautone milliaria duo cum dimidio orientem versus. Clara est ob celeberrimum illum astronomum Nassereddin *b*), qui ibi tabulas suas geographicas composuit, quique in montis prope iacentis fastigio, ad astra observanda, speculam suam habuit astronomicam, cuius et nunc in aequato montis apice indicia superstant *c*). In eiusdem montis parte occidentali conclave invenitur e rupe excisum, quadraginta pedum longitudine, sedecim latitudine, haud plane dissimile cryptis Indicis. Duae speluncam obtinent arae, quae, Kinneiro teste, similitudinem quandam habent cum Priapo templorum Indicorum. Sculpturae iis nullae adsunt, neque magnitudine neque pulchritudine cum istis Indorum antris comparandae *d*). Nonnulli praeterea cuniculi varia directione excurrentes coniuncti esse videntur cum aliis antris subterraneis. Urbis incolae nihil de antiqui-

a) KINNEIR. p. 157.

b) HERBELOT. s. h. v. Nassereddin floruit saeculo post Chr. n. decimo tertio.

c) KINNEIR. p. 156. *d*) KINNEIR. l. c.

antiquitatum istarum usu et consilio sciunt, omnem eas hominum memoriam longe excedere contendunt. — Quamquam de monumentorum illorum perquam memorabilium aetate et auctore certo quid constituere non audeo, quum nec inscriptione ulla, nec sculpturae opere alio insignita sint, de eorum usu tamen, ut putem, nos non haerere sinunt arae in cryptis illis obviae. Religioso consilio haud dubie destinata fuere; locum mihi invenisse videor veterum Magorum religioni sacrum. Fidem huic sententiae facit *Bakoui* *e*). Urbis mentionem iniicit filius Haucali *f*), qui situm eius constituit ad lacum Urmia, de quo haec, inprimis peregrinatoribus futuris notanda verba, addit: "*All round this lake are villages and buildings.*" — Deprehendisse sibi putat Kinneirus *Maragae* nomen in voce Γαμάργα apud Diodorum Siculum *g*). Sed Gamarga non urbis est sed regionis appellatio; nec de urbe huius nominis innotuit, nec de regione ista, praeter nomen, quidquam memoriae proditum est *h*).

CAPUT III.

Semiramidis opera.

Insignis est locus apud Mosen Chorenensem *a*), quo exponitur, Semiramidem ad breve tempus in campo Araratensi commoratam, in loca regionis montuosa ascendisse, ibique, quum terrae amoenitatem et caeli tenuitatem contemplaretur, haec verba fecisse: "hic in tali temperatione caeli, et terrarum atque aquarum ubertate, urbes et domicilia regia exstrui oportet, ut quartam vertentis anni partem, aestiva tempora, iucundissime in Armenia traducamus, ac per reli-

e) "Ville célèbre et très-peuplée, dans un terroir arrosé et plein de fruits. *Il y a d'anciens monumens des Mages, des colléges et des bâtimens*; un jardin nommé *Kiamesabad*, qui a une parasange de largeur sur autant de longueur; auprès est une source d'eau chaude où l'on prend les bains. On voit dans cette ville l'observatoire que Houlakou khan a fait construire, et où observoit *Nasir eddin el Thousi*." *Notices et Extr. des mss. II. p. 498.*

f) EBN HAUCAL p. 157. 162.

g) XIX. c. 92.

h) Cf. Wesselingius ad l. c.

a) ed. Whiston. p. 43 sqq.

reliquas tres aëris frigidi varietates nosmet Ninivae foveamus." Varia deinde quum loca peragrasset, ab Orientis partibus ad ripam *lacus salsi* pervenit, ibique collis quidam oblongus et vallis ita ei placuere, ut hoc loco subsisteret. "Iam ex Assyria reliquisque imperii sui partibus rudes opifices ad quadraginta duo millia; et delectos artifices, lapidis, ligni, aeris et ferri fabros, qui, suae quisque artis, essent peritissimi, numero ad sexcentos, continuo ad expetitum locum adduci iubet. Statim convenere operarii rudes plurimi, et architecti multarum artium solertes, quibus primum praecepit, ut aggerem latissimum atque altissimum ex asperis et grandibus saxis, calce atque arena coagmentatis, ad flumen exstruant, qui ad haec usque tempora, (ut addit Moses), permanet firmus. In hunc modum per multa stadia aggerem tandem ad locum urbi condendae destinatum perducit. Tunc multitudinem in varias classes distribui iubet, et unicuique classi electos architectos praeficit, atque urbem, opus mirabile, paucis annis perfecit, et firmis moenibus ac portis aeneis communivit. Domicilia etiam in urbe aedificat, lapidibus discoloribus eximie ornata, binûm et ternûm tabulatorum." Interiorem vero urbis partem, et quicquid ibi mire fabricatum sit, quod pauci cognitum haberent, enarrare se non posse contendit Moses. "Namque (pergit auctor) cum editissimum eius locum munitionibus firmasset, regalia quaedam aedificia ibi struxit, quae arduos aditus, nec minus difficiles exitus, haberent, horribilesque quasdam latebras; quae quum, quemadmodum fuerint constructa, nulla certa fama ad aures nostras pervenit, neque in his historiis exponere possumus; id unum indicabimus, omnium operum regiorum primum id atque summum haberi. Singulis praeterea lapidibus multas literarum notas inscripsit, quae solae spectantes ad magnam admirationem traducunt. Neque hoc tantum loco, sed in multis Armeniae locis regionibus columnas statui imperavit, iisdem notis ad sui memoriam signatis, variosque limites ac metas; cum eiusmodi inscriptionibus posuit."

Non huius loci est disquirere, quaenam fides debeatur omnibus istis, quae mira et stupenda de Semiramide circumferuntur *b*). Quod

b) Mosi Chorenensi fidem addere videntur Strabo. XI. p. 802. XII. p. 838 XVI. p. 1046. et Diodorus Siculus. l. II. ed. Wessel. I. p. 128.

Quod vero ad monumenta ista adtinet, cum Semiramide, prout eam aut fabulosam aut historicam habes personam, nec prorsus convelli, nec ex omni parte fulciri videtur Mosis narratio. Licet enim in eo falsus fuerit auctor, quod Semiramidi tribuit monumenta, quae ei originem non debent; nec tamen idcirco tota illa de iis narratio pro fabulosa et reiectanea necessario est habenda. — Si vero monumenta ista revera exstiterunt, et eo tempore, quo vixit Moses, ut contendit *c*), integra fuere, nec nunc prorsus interiisse, verosimile est. Locum, quem occupant, ipse Moses nobis indicat; *lacus salsus* enim est Strabonis *d*) Μαυτιανὴ λίμνη, Ptolemaei *Arsissa*, quippe quae sola e paludibus Armeniae salsam aquam habet. Iam dicitur *Van*. Peregrinatorum perpauci, iique obiter tantum regionem circa lacum istum examinarunt *e*).

CAPUT IV.

Urbs Derbent et murus Caucasius.

Caucasii montes proxime appropinquant mari Caspio inter fluvios *Terebagh* et *Tabassaran a*), ea parte, qua urbs hodierna *Derbent b*) (sub 41° 52′ sec. Kinn.) sita est. Angustus hic est celebratus ille Caucasi transitus, per quem ex Sarmatia tendunt in Iberiam, *Caucasiarum portarum* nomine insignitus. Cum ideo quod per Derben-

c) p. 45. *d*) STRABO p. 801.

e) TAVERNIER. I. p. 250. MORIER. p. 296. KINNEIR. p. 330.

a) REINEGG'S, *Beschreibung des Kaukasus* I. p. 113.

b) Vocabulum *Derbent* significat suo idiomate: *portam clausam*, *portam ferream*, cf REINEGG'S l. c. et BIZARI *rerum Persicarum scriptores* p. 326. 476. 502.

c) "Portae Caucasiae, magno errore multis Caspiae dictae, ingens naturae opus, montibus interruptis repente: ubi fores obditae ferratis trabibus, subter medias amne diri odoris fluente, citraque in rupe castello (quod vocatur Cumania) communito ad arcendas transitu gentes innumeras: ibi loci, terrarum orbe portis diclusio, ex adverso maxime Harmastis oppidi Iberum," PLINIUS VI. 12. Eundem, quem notat Plinius, errorem committit LUCANUS (VIII. 22.), dum nomine Caspiorum claustrorum appellat, quae Caucasia erant nominanda. Eodem

bentum urbem solus e septentrione in Persiam aditus patet, tum quod revera multa spectatu digna ibi habentur, factum est, ut vix alia Persiae regio, tam multos nacta sit descriptores. Inde enim a Beniamino Tudelensi *d*) et Rubruquisio *e*), usque ad novissima tempora, unusquisque fere peregrinatorum maiorem minoremve ei describendae operam impendit. Primarii sunt Olearius *f*), Hanway *g*), Gmelinus *h*), Klaprothius *i*), Müllerus *k*), Reineggsius *l*), et Demetrius Cantemirus, cuius descriptionem in lucem protraxit et doctissime commentatus est Bayerus *m*).

I. Descriptio.

1. Urbis antiquitates.

Derbentum urbs *n*) declive Caucasi septentrionale iugum occupat, ita ut frontem praebeat mari Caspio *o*). Superior urbis pars,

Eodem vitio labitur Tacitus (*Ann.* VI. 33.). *Caspiae portae*, a Caucasiis plane diversae, sitae erant prope Parthiam, mari Caspio versus meridiem, cf. Dionysius Perieg. v. 1039. et Eustathius ad hunc locum; Strabo p. 796. Quae quidem illae fuerunt portae, ad quas, quum persequeretur Darium, duodecimo die ab Ecbatanis pervenit Alexander, teste Arrhiano III. 20. Hic Arrhiani locus, false de portis Caucasiis intellectus, multorum errorum causa fuit. Peregrinatorum enim multi, quum ad hanc usque Caucasii partem Alexandrum progressum opinarentur, eundem quoque tam Derbenti urbis, quam muri Caucasii auctorem habebant. Rennellium quoque (*geograph. Syst.* p. 112.) muri originem ad Alexandrum referre, est quod iure mireris. De portis Caucasiis, earumque cum Caspiis confusione, copiose egit Kirchius, in: *Miscellan. Berolinens.* T. VI. p. 84.

d) *Voyage de Rabbi* BENIAMIN, *par Baratier*, *p.* 150.

e) *Voyages par Bergeron.* p. 138.

f) p. 545. 719.

g) I. p. 254.

h) III. 10.

i) *Russland's Vergrösserungen unter Alexander I. durch den mit Persien geschlossenen Friedenstractat* 1814. p. 152. et MASSUDI's *Beschreibung des Kaucasus* Ibid. p. 185.

k) *Sammlung Russischer Geschichten*, IV. p. 90.

l) *Beschreibung des Kaukasus* I. p. 113

m) *Commentatt. Petropol.* I. p. 425. et in: BAYERI *opuscula.* ed. Klotzii p. 94.

n) Effigiem urbis dedit GMELIN. III. Tab. 7.

o) REINEGGS. I. p. 113.

pars, quae arcem continet, ut antiquitate ceteram urbem superat, ita plurima spectatu digna oculis offert *p*). Inter alia admirationem movet turris, in septentrionali urbis parte sita, diverso a ceteris et squalidiori lapide constructa, quae remotissimam antiquitatem refert *q*). Item canales et aquaeductus, quibus urbi a summis montibus aqua suppeditatur, ad vetusta tempora recurrunt *r*). Inprimis vero admiratione digni sunt muri, qui, ex lapidibus caesis incredibili opera ea crassitie constructi, ut super eos currus vehi possit *s*), inde a Derbenti arce ad septentrionem et meridiem se protendunt *t*). Quae quum referant peregrinatores, et obstupefacti quaerant, undenam confluxerit, ad haec monumenta exstruenda, tam hominum multitudo, quam pecuniae, quae requirebatur, inmensa copia? iure colligimus, originem haec opera debere populo, eo qui nunc Caucasum obtinet, multo potentiori. Incolae Derbenti, qui magna cum ostentatione Alexandrum urbis auctorem *u*) praedicant, eundem et monumenta modo descripta condidisse autumant *v*). Quum vero Alexander nunquam hucusque progressus sit, necessario falsa haec est opinio. Fide digniorem aliam habeo, eandemque incolarum sententiam, ex qua Cosroes Anuscervanes murum urbis septentrionalem *w*) struxit. Quum hoc artis opus antiquitate longe superet hodiernam urbem Derbent, Cosroi vero aliud e vicinio urbis monumentum, de quo iam disquiremus, tribuendum videatur; verosimilitatis saltem maximam ea sententia prae se fert speciem.

2. *Murus Caucasius.*

A superiori Derbenti urbis parte septentrionem versus, per montes convallesque murus excurrit, qui lapidibus, quos montes proximi suppeditabant, caesis, paulo durioribus iis *x*), quam quibus constant urbis munimenta, ea arte constructus est, ut lapides, nec ferro

p) MÜLLER. IV. p. 90.
q) BAYERI *Opusc.* p. 96.
r) MÜLLER. IV. p. 93.
s) OLEARIUS. p. 720.
t) GMELIN. III. p. 11.
u) GMELIN. III. p. 10. — Historiam Derbenti multis mythis involutam dedit Reineggs I. p. 115.
v) MÜLLER. IV. p. 91.
w) OLEARIUS. p. 719. — *meridionalem* dicit Müller IV. p. 92.
x) III. p. 12.

ferro nec caemento compacti, solo struendi artificio ita cohaereant, ut vix rima ulla appareat *y*). Iusto spatio turres muro adsitae sunt pyramidali forma; castellorum adeo hic ibique inveniuntur rudera, et cryptarum subterranearum castellis coniunctarum indicia *z*). Arces istae, figura quadrata, altitudine satis magna, ex industria iis locis conditae fuisse videntur, unde bene perlustrare possent earum custodes Caucasiorum montium permagnam partem *a*). Murus, quem diximus, ad altitudinem assurgit triginta pedum, aliis partibus plane fere dirutus, aliis vero ita incolumis invenitur, ac si nuper admodum esset conditus *b*). Prope urbem pauca tantum eius rudera reperiuntur *c*). Muri tractum, eiusque formam et lapidum proportionem, ex Demetrii Cantemiri delineatione parum satisfaciente, exhibuit Bayerus *d*). Ex opinione incolarum Derbenti murus se protendit a mari Caspio usque ad mare nigrum *e*). Eidem sententiae et Gmelinus *f*) accedere videtur. Est vero haec opinio uti testimonio hucusque destituta, ita ab omni verosimilitate prorsus abhorrens. Inde enim ab Alasano fluvio nulla eius apparent indicia *g*). Superfluum vero fuisset, *totum* Caucasum muro defendere, quippe qui plurimis locis ipsius natura difficilior est transitu, quam firmissimo muro effici potest. Accedit quod nullus unquam populus totum Caucasum obtinuit.

II. Muri Caucasii auctor.

1. Refutantur qui Medos habent auctores.

Vel obiter tantum perlustranti peregrinatorum de muro Caucasio narrationes, facile apparet, monumentum esse vere antiquum. Hoc cum sibi persuasum haberent, alii muri originem ad Medos usque assurgere opinabantur. Cui opinioni Bayerus adeo, quod miror, vix ausus est se opponere *h*). Secus mihi res videtur. Caucasiorum

y) BAYER, *Opuscula* p. 98.
a) OLEARIUS. p. 720.
c) GMELIN. l. c.
e) REINEGGS. I. p. 120.
g) GÜLDENSTÄDT. I. p. 489. REINEGGS l. c.
h) *Opuscula* p. 120.
z) GMELIN. III. p. 13.
b) GMELIN. III. p. 12.
d) *Opuscula*. Tab. aen. VII.
f) GMELIN. III. p. 13.

rum montium gentes nomine tantum ad magnum illud Medorum imperium pertinuerunt. Quum enim raptu viverent et venatione, praetereaque terram incolerent, paucis regionibus exceptis, asperam et sterilem, tam ipsi incolae, quam illa terra, parum curae erant Medis. Quas vero terras ne percognitas quidem cordique habebant, eas muro defendisse, vix credibile est. Ipsius porro monumenti conditio Medos non prodit auctores. Medi quidem, ut recte affert Bayerus, nulli populo cesserunt in operibus magnificis exstruendis, sed materies, qua utebantur, erat coctilium, in iis ipsis regionibus, quae lapidibus abundebant. Qua vero materie non constat murus Caucasius.

2. Refutantur qui Alexandrum habent auctorem.

Alia de muro Caucasio sententia eorum est, qui ab Alexandro eum exstructum putant *i*). Quae vero sententia aeque falsa est ac praecedens. Alexander si ad portas Caucasias, quousque nunquam progressus est, pervenisset, certe non cogitasset de tali muro hac regione exstruendo, imperii defendendi causa; aliunde ei graviora erant timenda. Originem traxisse videtur illa opinio ex commentis nonnullorum e serioribus Graecorum scriptoribus. Iosephus *k*) enim memoriae prodidit, Alexandrum angustum Caucasi transitum portis ferreis clausisse. Procopius Caesariensis *l*) reliquit, Alexandrum aditum illum foribus et castello munivisse. Haec errorum plena *m*) novis vitiis cumularunt recentiores, dum Iosephum e. c. cogitasse autumant de muro hoc Caucasio, qui quinque demum saecula post eius mortem conditus est. Recte Bayerus *n*): "nemo ex omni vetustate, seu Graecus seu Latinus scriptor, muri, qui ductus est in Caucaso, mentionem iniicit." False vero subiicit idem: "Arabes hunc murum celebrant nomine aggeris obiecti Gogo et Magogo." Murus ille Bicornis (Alexandri), contra Gogum Magogumque exstructus,

i) BIZARI *rerum Persic. scriptores*. p. 326. 476. MALCOLM, *history of Persia*. T. I. p. 80.

k) *Bellum Iud.* VII. 29. *l*) ed. Paris. I. p. 28.

m) Praeterquam quod Alexandrum Caucasum adiisse putant, *Caspias* dicunt portas, quae *Caucasiae* nominandae sunt. — Error ille Iosephi et Procopii ortus esse videtur ex Arrhiani loco perperam intellecto: cf. supra p. 163.

n) *Opuscula*. p. 104.

ſtructus, de quo multa fabulantur Orientales *o*), plane a noſtro diverſus eſt. Salamus enim quidam, cum muri cognoſcendi cauſa miſſus eſſet a Chalifa, e gente Abaſſidarum nono, cui nomen Vathek, Chaldaea profectus pervenit ad *dominum aurei throni* in urbe *Bab al abuab p*). Quo nomine Derbentum ſignificari, diſcimus ex Aledriſio *q*) et Kinneiro *r*). De hinc vero poſt dierum ſexaginta trium iter, ſeptentrionem verſus, pervenit demum ad murum illum Magogi. Situm huius aggeris accuratius efficere ſtuduerunt Danvillius *s*) et Rennellius *t*).

3. *Vindicatur Cosroi Anuscervani monumenti origo.*

Teſte Procopio *u*), portae Caucaſiae multorum fuerunt in poteſtate, donec eas tenuit Ambazuces Hunnus. Morbo obiit paulo poſt Ambazuces, eiusque filiis per vim caſtello exactis, Cabades portas occupavit *v*). Ad eum, Iuſtiniano imperante, miſſus eſt legatus de pace. Cabades autem multa queſtus eſt apud Rufinum de Romanis: ſe clauſtra Caucaſi occupaſſe, communi Romanorum ſuoque commodo, ne Barbari in Romanas ſuasque ditiones irrumperent. Diu ſe poſtulaſſe, ut Romani aut finibus Perſicis excederent, aut ſaltem ad tuenda Caucaſi clauſtra parem militum numerum mitterent, ſumtusque praeſidii alendi partirentur. Pacem coituram non eſſe, niſi alterutrum Romani facerent *w*). Inſecutum eſt bellum, Romanis neutram conditionem accipientibus. Cabades interim vita defunctus eſt. Cosroes, rerum potitus, inter ceteras pacis conditiones a Romanis poposcit, ut communi cum Perſis praeſidio

o) GEOGRAPHUS NUBIENSIS. p. 267. HERBELOT, *Bibliosh. orient.* f. v. Iagiough.

p) HERBELOT. l. c. *q*) p. 240. 244.

r) p. 356. "The Perſians, in the time of Chosroes Nuſhirvan, had poſſeſſion of this city; and it is reported that this able prince, in conſideration of the importance of the poſition, granted the governor the privilege of ſitting on a *golden throne* when he adminiſtered juſtice. This town was taken by the Arabs, by whom it was called *Babe-ul-islam* (the Gate of Faith)." Cf. quoque IONES's *works* V. p. 572.

s) *Hiſtoire de l'academ. des inſcr.* T. XXXI. p. 210.

t) *Geograph. Syſt.* p. 113.

u) p. 28. *v*) PROCOPIUS. p. 29.

w) PROCOPIUS. p. 46.

ſidio clauſtra illa tutarentur, vel undecies centena millia auri pondo Perſis penderent. Sed Cosroes haud multo poſt Syriam invaſit et Antiochiam cepit. Quo facto, Romanis eam legem tulit, ut in praeſentia quinque millia auri pondo, ac ſingulis annis quingenta penderent Perſis, ad praeſidium Caucaſi excubantibus *x*). Quum igitur Cosroes hac ratione ſibi ſoli iam ſumſiſſet Caucaſi defenſionem, ideoque permagnum militum numerum ex ſuis ſolis militibus alere deberet, veroſimile mihi videtur, eum nunc alii rationi proſpexiſſe, qua terram tutam praeſtaret. Nulla re muro melius hoc effici potuit. Cosroem igitur Anuscervanem, cum Bayero *y*), muri illius auctorem habeo. Quae ſententia non ſolum per famam illam incolarum firmatur, ex qua murum Derbenti meridionalem condidiſſe fertur Nuſchirvan *z*), ſed certiora nobis adſunt argumenta. Apud Geographum Nubienſem *a*) inter alia de Anuscervane et haec habentur: "aedificavit urbem *Sabran* in parte, quae reſpicit mare *Chozar* (mare Caspium), urbem *Carcara*, et urbem *Bab*, et *Alabuab*; item erexit turres permultas ad oſtia montis, qui vocatur *Alcubac*, ſuperant enim eae turres numerum trecentarum." Vox *Alabuab* eandem ſignificat urbem, quam modo *b*) dixerat *Bab-alabuab* (portam portarum), et de urbe *Derbent*, prope portas Caucaſias, intelligenda eſt. Validius argumentum, ad ſententiam noſtram probandam, occurrit apud filium Haucali, qui diſtinctis verbis non modo urbis, ſed etiam muri originem ad Anuscervanem refert *c*). Omnium vero maxime nobis favet Gregorius Malatienſis, a Bayero *d*) laudatus, qui inter alia, quae fabuloſa reiicimus, veritati congrua haec refert: Anuscervanem ſummis montium faſtigiis murum adiun-

x) PROCOPIUS. p. 112.

y) *Opuſcula* p. 125.

z) OLEARIUS. p. 719.

a) p. 242.

b) p. 240.

c) EBN HAUCAL. p. 158. "Derbent is a city built on the ſhore of the ſea, on two banks of a bay, with two walls conſtructed ſo as to render the navigation of ſhips more convenient and ſafe; and these two walls are formed of ſtone and lead. A wall of ſtone extends from the city to the moutain; and another of clay, to hinder the Cafres (Infidels) from coming into the town. Part of this wall proiects a little way into the ſea, ſo that ſhips may not come too near the ramparts. This wall is a ſtrong building, and was the work of Nouſhirvan Aadel (the Iuſt)."

d) GREGORIUS ABULPHARAGIUS, ed. Pocock. p. 63. BAYER, *Opuſcula* p. 125.

adiunxisse et in mare produxisse mille passus, portisque ferreis clausisse, ut a centum hominibus ea regio obsideretur, quam vix centies mille defendissent antea ab excursionibus. Ad Cosroem Anuscervanem igitur, qui imperium tenebat inde ab anno 532 usque 579 post Chr. n., cum muri Caucasii, tum ipsius Derbenti antiquitatum originem refero. — Videamus, num aetatem monumenti accuratius assequi possimus. Ante Cosrois Antiochiae expugnationem murus ille exstitisse non videtur. Nam ita semper actum est inter Romanos et Persas, ut Romani, aut parem militum numerum mitterent ad Caucasum ab excursionibus defendendum, aut tributum penderent Persis ad Caucasi claustra excubantibus. Capta Antiochia, quum de pace ageretur inter Persas et Romanos, hanc ignominiosam legem tulit Romanis Cosroes, ut in praesentia quinque millia auri pondo, ac singulis annis quingenta a Romanis acciperet: hoc pacto se Caucasias portas esse custoditurum *e*). De militibus mittendis ne verbum quidem. Nisi igitur hoc inde colligi queat, Cosroem iam exstruendi muri, vel consilium cepisse, vel initium fecisse, illud saltem extra dubitationem positum videtur, ante expugnatam Antiochiam murum non exstructum fuisse, alias enim ratione foret destitutum, quod illo tempore efflagitabatur a Romanis, ut parem militum numerum ad praesidium Caucasi mitterent, qui, muro condito, a pauciissimis adeo, ut habet Abulpharagius *f*), defendebatur. Anno post Chr. n. 540, ut refert Agathias, Cosroes primam contra Romanos suscepit expeditionem, qua Antiochia expugnata est. Per quatuor sequentes annos cum Romanis pugnavit. Anno 545 inducias fecit cum Iustiniano *g*). Quae vero induciae in idem incidunt tempus, quo pax illa Cosrois innita, de qua habet Procopius *h*). Antiochena enim clades causa fuit, ut, ignominiosa illa tributi quotannis pendendi conditione, pacem inirent Romani. Annus igitur post Chr. n. 545 ille esse videtur, ante quem Antiochia expugnata est, circa quem vero monumenti nostri cadit origo.

e) PROCOP. p. 112. *f*) ABULPHAR. l. c.
g) *Chronicon Edessenum*, in: ASSEMANI *Bibliosh. orient.* T. III. P. I. p. 405.
h) p. 112.

PARS B.

Persiae terrae orientales seu Ariana.

SECTIO I.

Regiones septentrionales.

Praemonenda.

Arianae nomine omnes continentur terrae, quae, secundum Eratosthenem auctore Strabone *a*), ab *oriente* Indo terminantur, ab *austro* mari magno, ab *aquilone* Paropamiso et montibus usque in Caspias portas, ab *occidente* iisdem finibus, quibus Parthia a Media, Carmania a Paraetacena et Perside distinguitur. Complectebatur itaque Ariana Parthiam, Ariam, Paropamisum, Carmaniam, Gedrosiam, Drangianam et Arachosiam; uno verbo omnes terras, quae iam efficiunt *Persiam orientalem.* Inde a primis Persarum temporibus accensebantur quidem istae terrae magno illi imperio Persico, sed magis nomine quam revera ad illud pertinuerunt. Incolae enim Arianae propria utebantur lingua, a Persica prorsus diversa, praetereaque ut moribus ac institutis, ita et artis operibus a Persis longe discrepabant. Sub nonnullis tantum regibus arctiori vinculo cum terris Persiae septentrionalibus cohaesit Ariana; nullo tamen tempore

a) p. 1053.

pore prorsus cum illis coaluit. Videntur sane omnes illae, ab Indo usque ad Tigridem, terrae latiores fuisse, quam quae uno imperio complecti potuissent. Regiones Indiae proximae sub Indorum potestate plerumque fuere *b*), quippe quas Persae, propter longinquitatem, ab Indorum incursionibus tutas praestare non potuerunt. Accedit quod minoris faciebant Arianae terras, quum, paucis regionibus exceptis, soli ubertate et coeli temperie longe cederent Persiae occidentali; habet enim Plinius *c*): "Infra haec omnia, ora ab Indo, Ariana regio ambusta fervoribus, desertisque circumdata, multa tamen interfusa opacitate: cultores congregat circa duos maxime fluvios, *Tonderon* et *Arosapen*." Nostra de Ariana notitia, imo post recentissimam a Britannis navatam operam, quam maxime imperfecta est et manca. Quum pauca tantum hucusque ibi inventa sint monumenta, necesse non est, ut de singulis terris seorsim agamus; dispescimus Arianam in duas, quas natura ipsa constituit, partes, scilicet septentrionalem, et meridionalem, alteram ab altera deserto magno Carmaniae seiunctam.

Arianae pars septentrionalis quamquam paulo magis e tenebris prodiit, quam eiusdem regiones meridionales, multum tamen deest ad perfectam terrae cognitionem. Plura veteribus debentur, quam nostrae aetatis scriptoribus. Herodotus nonnullas regiones, inprimis quae prope adiacent mari Caspio, mirifice novit. Alexander satis diu ibi moratus, plures urbes condidit. Post eius tempora a Syris regibus petita est terra. Per eas regiones viae mercatoriae a portis Caspiis in Indiam se protendebant; mercatorum nunciis usi sunt seriores Geographi, inprimis Ptolemaeus. Recentioris vero Arianae cognitio haurienda inprimis est ex Geographis Orientalibus, filio Haucali scilicet et Aledrisio. Cum quorum descriptionibus coniungenda sunt, quae ὡς ἐν παρόδῳ attulerunt auctor historiae Schengiscani *d*), Scherifeddin *e*), Abulgasi *f*) et Abdulkerrim *g*). Sed quoties ii omnes te destitutum relinquant, vix dici

b) STRABO, p. 1054.
c) *Hist. nat.* VI. c. 25.
d) *Histoire de Chengiscan trad. et comp. par Petis de la Croix.*
e) *Histoire de Timurbec.*
f) *Histoire des Tartars.*
g) *Memoirs of Khojeh Abdulk.*

dici attinet. E peregrinatoribus Europaeis Forsterus *h*), qui has terras peragravit, quum solus esset, nec ullis instrumentis geometricis, nec aliis subsidiis literariis adiutus, maximis vero semper omnis generis difficultatibus obstrictus, pauca tantum praestitit. Kinneirus ipse has regiones non adiit: cum ex incolarum *i*), quibuscum convenit, narrationibus, tum ex iis, quae sibi communicavit Christie *k*), sua hausit. Epitomen itineris, quod in hisce terris fecit Christie, habes quoque apud Pottingerum *l*), cuius ipsius nonnulla ad has regiones pertinent. Omnium vero iam longe gravissimus auctor, ad unam saltem Arianae partem percognoscendam, est accuratissimus et diligentissimus Elphinstone *m*).

Inter Arianae terras, quoad artis opera, partes septentrionales multo maioris momenti sunt iis, quae spectant versus meridiem; a populis enim eae obtinebantur culturae loco conspicuis. Mediae proxime sita erat Parthia, parva quidem et montana parumque frugifera terra, qua oriundus erat Arsaces auctor imperii maximi clarissimique. Urbs capitalis fuit *Hecatompylos*, sic dicta a Graecis propter diverticula viarum, quae ibidem coibant *n*). Prorsus evanuit, ita ut ne locum quidem, qui ea quondam superbiebat, agnoscas.

Parthiae versus orientem sita erat Aria, ex Arianae terris fortasse fertilissima, ideoque plurimi habita pretii. Maximam partem hodiernae *Chorasan* continuit. Quum vero saepius rapacium gentium incursionibus esset obnoxia, prioris felicis conditionis vix iam vestigia reperias. Hic sita erat *Aria* urbs, quam sibi in hodierno *Herat* reperisse videntur. Alexandri tempore palatium ibi spectabatur regum Ariae *o*). — Ibi incolarum copia et divitiis florebat amplis-

h) GEORGE FORSTER, *a journey from Bengal to England.* London. 1798. Iter fecit 1782-84.

i) p. 169. *k*) p. 183.

l) *Abstract of Captain Christie's Journal*, in: *Travels in Beloochistan and Sinde by* POTTINGER. London 1816.

m) *Account of the kingdom of Caubul.* London 1815.

n) POLYBIUS. X. c. 25.

o) KINNEIR. p. 181. ARRHIANUS. III. 25.

ampliſſima urbs *Niſchapur*, Saſſanidarum tempore inprimis conſpicua; Tamurae originem debet, ſecundum Orientales, Alexander eam diruit, Sapor eam reſtituit et nomine ſuo, ut videtur, appellavit. Saporis ſtatua in hac urbe olim ſpectabatur *p*). Adhuc tempore filii Haucali florentiſſima fuit et ampliſſima *q*). Rudera eius decem paraſangarum circuitu ſparſa ſunt *r*). — Inter antiquiſſimas urbes cenſetur quoque *Meru*, quae aedificiorum amplitudine et copia quondam ſuperbiebat. Memorabilis inprimis, quod ultimum refugium Iezdegerdis erat *s*).

Ariam, orientem verſus, excipiebat Bactriana, Indiae proxima, iam *Balch* dicta; terra ampla et dives *t*). Per Bactrianam in Indiam via magna mercatoria ex Aſia media ſe protendebat. Ut mercaturae faciendae aptiſſime ſita erat, ita exercuit eam aſſidue *u*). Commercium illud cum Indis effeciſſe videtur, ut cultura longe ſuperemineret ceteris Arianae terris. Primaria erat ſedes Zoroaſtris, qui toti Perſiae inde praeceptor exſtitit. Bactriana fuit unde Perſae, cum artium, tum literarum petiverunt initia et fundamenta. Iam antiquiſſimis temporibus, longe ante Perſarum imperium, ſub propriis regibus erat, ſecundum Orientalium teſtimonia. Urbs capitalis fuit *Bactra*, iam *Balch* dicta, ex Orientis fama a Tamura condita. Artaxerxes Babegan ibi coronatus et Magorum inſtitutione uſus eſt. Cosroïs Anuscervanis tempore ditiſſima et opulentiſſima fuit; arcem habebat et caſtellum e marmore ſtructum *w*). Alexander octo urbes in Sogdiana et Bactriana condidiſſe fertur *x*). — Reliquas minoris momenti terras conſulto, brevitatis cauſa, praetereo: nam earum aliis eadem contigit ſors, quae provinciis illis modo nominatis, aliarum vero, ut Arachoſiae et Drangianae, minorem tenemus notitiam, quam ut in iis deſcribendis diutius morari poſſimus. Ad Zarangaeorum terram infra, ubi de ſingulis agam monumentis, recurram.

CAPUT

p) KINNEIR. p. 185.
q) EBN HAUCAL. p. 172. 214.
r) KINNEIR. p. 186.
s) EBN HAUCAL. 115. 116.
t) STRABO. 785.
u) HEEREN's *Ideen* I. p. 341.
v) KINNEIR. p. 187.
w) STRABO. p. 787.

CAPUT I.

Sepulcrum Zarinae.

Zarina Sacarum quondam regina, uti pulchritudine ita et conſiliorum ſolertia et actionum ſtrenuitate admirabilis fuit. Reges enim finitimos, qui ſervitutis iugo Sacas premebant, bello ſubegit et magnam regionis partem ad mitiorem traduxit cultum urbesque non paucas exſtruxit, gentis denique ſuae vitam multo beatiorem effecit. Ideoque cives poſt obitum eius, ut gratiam pro beneficiis referrent virtutumque memoriam conſervarent, ſepulcrum ei caetera longe ſupereminens conſtruxere:

"Pyramidem enim triquetram ex fundamento eduxerunt, cuius latera ad ternorum ſtadiorum longitudinem protendebantur, vertex in acutum mucronem deſinens ad ſtadii ſublimitatem aſſurgebat. Coloſſea quoque effigie ſuper buſtum erecta, heroicos illi honores conſecrarunt, reliquaque omnia magnificentius quam maioribus eius impenderunt *a*)."

Sacae, celeberrima Scytharum gens *b*), Dahis et Maſſagetis vicini fuiſſe videntur. Teſte enim Strabone *c*), Scythae, qui a Caspio mari incipiunt, Dahae appellantur, qui vero his orienti viciniores ſunt, Maſſagetae et Sacae vocantur. Ptolemaeus *d*) ait, Σακῶν θέσιν ab occaſu terminari Sogdiana, a ſeptentrione et oriente Scythia, a meridie Imao monte. Quum vero alii alias locent Sacas *e*), locus, quo ſitum fuerit hoc monumentum, accurate vix effici poterit,

a) DIODORUS SIC. II. 34. ὑποτησαμένους γὰρ πυραμίδα τρίγωνον, τριῶν μὲν σταδίων ἑκάστην πλευρὰν αὐτῆς κατασκευάσαι τὸ μῆκος, τὸ δ' ὕψος σταδιαῖον, εἰς ὀξὺ συνηγμένης τῆς κορυφῆς. ἐπιθεῖναι δὲ τῷ τάφῳ καὶ χρυσῆν εἰκόνα κολοσσικὴν, καὶ τιμὰς ἡρωικὰς ἀπονεῖμαι καὶ τἆλλα πάντα μεγαλοπρεπέστερα ποιεῖν τῶν τοῖς προγεγονόσιν αὐτῆς συγχωρηθέντων.

b) PLINIUS. VI. 19. DIOD. SIC. l. c.

c) p. 778. *d*) VI. 13.

e) Scriptorum veterum de Sacis ſententias collectas habes in: RENNELL'S *geographical ſyſtem of Herod.* p. 214-222.

poterit. Zarinae *f*) aetatem discimus ex Diodoro, quo teste, regnante Astibare Medorum rege, inter Sacas Medosque bellum exortum est. Sacarum tunc imperium tenebat Zarina. Astibaren eundem esse, quem Cyaxarem appellat Herodotus, luculenter et certe demonstravit Boivinius *g*), qui copiosam Zarinae historiam ex veterum testimoniis contexuit. Eandem sententiam amplexus est Des Vignoles *h*). Cyaxares vero cum inde ab anno sexcentesimo tricesimo quarto, usque ad a. 595, auctore Volney, regnasset, monumenti supra descripti origo incidit in annum circiter sexcentesimum a. Chr. n. Summae antiquitatis et artis adhuc rudis monumenti descriptio prae se fert indicia. Simile est aliquatenus huic operi aliud Sacarum monumentum, a Strabone *i*) descriptum, quod aeque ac Zarinae tumulus artem illam antiquam, in immani et stupendo positam, indicat. "In campo enim petram quondam aggere complentes, ita ut rotundi collis figuram referret, muro cinxerunt; ibique Anaitidis et eodem altari gaudentium deorum Amani et Anandrati, Persicorum geniorum, templum posuerunt."

CAPUT

f) De Zarina plura qui scire cupit, quam quae ex Ctesia Diodorus memoriae prodidit, adeat Nicalaum Damascenum, cuius historiae habentur in *excerptis Porphyrogennetae a Valesio editis*, (p. 436.), separatim proditae sub titulo: *Nicolai Damasceni historiarum excerpta et fragmenta ed. Orellius*, (p. 32.). Quae vero mutilata tantum ad nos pervenerunt: singulari enim fato codici Valesiano duae paginae exciderant, quae Zarinae historiae exitum continebant. Fragmentum, quod Zarinae fata priora continet, invenitur in *tractatu anonymi de mulieribus quae bello claruerunt, ab Heerenio edito*, in libro Germanico: *Bibliothek der alten Litteratur und Kunst* VI. p. 11.

g) *Histoire de l'academie des inscript.* T. II. p. 67.

h) *Chronologie de l'histoire sainte* II. p. 241.

i) Ἐν δὲ τῷ πεδίῳ πέτραν τινὰ προσχώματι πληρώσαντες εἰς βουνοειδὲς σχῆμα ἀπέδηκαν τεῖχος, καὶ τὸ τῆς Ἀναΐτιδος, καὶ τὸ τῶν συμβώμων θεῶν ἱερὸν ἱδρύσαντο, Ἀμανοῦ καὶ Ἀνανδράτου Περσικῶν δαιμόνων. STRABO. p. 779. Cf. et p. 1066.

CAPUT II.

Monumenta urbis Bamian.

Prima notitia monumentorum urbis *Bamian* debetur Hydio *a*); plura habet Abu Fazel, auctor libri Persice scripti Ayeen Akbery *b*); copiosiorem descriptionem dedit Wilfordus *c*).

A. Descriptio.

1. Monumenta urbis ipsius.

Urbs *Bamian*, lingua Sanscridamica dicta *Vami-Nagari*, *Vamigram* i. e. urbs pulchra et praeclara *d*), sita est in terra *Cabul*, octo dierum iter ab eiusdem nominis urbe versus occidentem *e*). Tota urbs ex permagna conclavium et recessuum e monte solitario excisorum copia constat, ita ut cum Thebis Aegyptiacis eam comparare haud dubitet Wilfordus. Conclavia illa appellantur apud incolas *Schamachch'h f*); eorum alia tantae sunt magnitudinis, ut templorum habeant speciem, alia domiciliorum usui respondent, eique ut nunc inserviunt, ita et olim respondisse videntur. In eorum nullis pilae vel columnae inveniuntur; parietes pro ornamentis habent anaglypha et sinus minoris formae. Figurae exsculptae quoque in iis inveniuntur, Muhamedanorum vi misere vero mutilatae. Picturarum adeo indicia in nonnullorum saltem recessuum parietibus hic ibique obvia sunt, fumo vero ea ita obducta, ut vix quid certi cognoscere possis. — Inprimis vero attentione dignae sunt duae statuae magnitudine inmensa. Rupi, e qua excisae sunt, a tergo ita adhaerent, ut saxi recessus statuarum crassitiem aequet; hinc factum, ut a tempestatis iniuria aliquatenus saltem defensae sint *g*). Statuarum

a) *Religio veterum Pers.* p. 132.

b) *Ayeen Akbery; or, the institutes of the emperor Akber, translated from the original Persian by Francis Gladwin.* 1800. T. II. p. 183.

c) *Asiatick Researches*, ed. Lond. in 8vo. Vol. VI. p. 462 sqq.

d) *Asiat. Res.* p. 462.

e) Ibid. p. 463.

f) Ibid. p. 464.

g) *Asiat. Res.* p. 465.

rum altitudo ab aliis alia affertur. Abu Fazel *h*) auctor est, alteram octoginta, alteram quinquaginta ulnas aequare. Ab auctore libri *Pharhangh Gihanghiri*, a Hydio *i*) laudati, discimus, ambarum altitudinem quinquaginta cubitorum esse. Quae quidem altitudo, licet vera videatur Wilfordo, accuratissimi Elphinstonii testimonio *k*) repugnat, ex quo maioris formae statua viginti ulnas alta est, minori vero duodecim vel quatuordecim tantum ulnae conveniunt. Hydii fontibus parum fidei esse tribuendum, docent quae idem *l*) ex alio libro, Persice conscripto, *Masâlik Mamâlik* affert, statuas scilicet intus cavas esse, ita ut quis, per plantam pedis subintrans, totam earum interiorem partem usque ad extremos manuum et pedum digitos permeare possit. Peregrinatores nihil de hac re tradunt; iure hinc Wilfordus narrationem illam per se parum credibilem ut fabulam reiicit. Haud procul a duabus illis tertia invenitur statua, multo minoris magnitudinis. De ea nihil refert Elphinstonius, plures tamen statuae, exceptis illis duabus, superesse dicebantur. Sexus figurarum, longi temporis iniuriam et Muhamedanorum furorem expertarum, haud effici potest, teste Wilfordo *m*). Alii vero peregrinatorum narrant, alteram iuvenem inberbem repraesentare; alii, qui mammarum protuberantiam animadvertisse sibi visi sunt, exhibitam esse contendunt feminam. Cui sententiae consentanea refert Elphinstonius, qui alteram virilem, alteram femineam habet figuram. Utraque statua, eodem teste, ad orientem spectat; virilis imago unam manum versus os tollit, alteram vero e transverso pectori praetendit *n*). Firmantur haec per Wilfordum, ex testimonio clarissimi cuiusdam Muhamedani Meyah Asod Schah, qui praeterea refert, duas illas maiores statuas a se invicem dissitas esse quadraginta passus, tertiam vero et quidem statura minimam, viginti pedum, dimidium milliarii Anglici ab illis distare; statuarum alteram feminam repraesentare, e mammarum protuberantia et mollibus tenerisque oris lineamentis necessario colligi. Quae tamen an revera invenerit, dubitationem mihi inciicit

h) *Ayeen Akbéry* II. p. 183.
k) *Account of Caubul* p. 487.
m) *Asiat. Res.* l. c.
i) *Religio vett. Pers.* p. 132.
l) l. c.
n) ELPHINSTONE'S *account* p. 487.

inilcit tot ſaeculorum decurſus. Utriusque figurae, addit ille, veſtitum opere Phrygionio, quod vocant, vario colore quondam diſtincto inſtructum eſſe; cuius quidem rei et nunc ſupereſſe indicia. Statuarum alteram rubro, alteram griſeo colore pictam fuiſſe *o*), ni ſcilicet lapidis color genuinus griſeus ſit *p*). Ex aliorum peregrinatorum teſtimoniis affert Wilfordus *q*), veſtitum ſimilem eſſe ei, quo indutae ſint figurae ſemiobrutae in monumentis Nakſchi-Ruſtam, hoc tamen discrimine, ut ſtatua feminea capitis ornamento careat, virilis vero tiara ſit ornata, cui ſimilem habeat feminea figura in monumentis Ruſtamicis. Inter crura virilis ſtatuae introitus eſt templi, quod quidem eo ambitu eſſe contenditur, ut omnes bellici apparatus, omniaque impedimenta totius exercitus *Zeman Schahi* ſatis in eo habeant ſpatii. Totum antrum tenebroſum eſt, parietes eius receſſibus et anaglyphis ornati ſunt *r*). De hoc templo nihil quidem habet Abu Fazel, narrat vero aliam rem, notatu digniſſimam, de qua vero ſilent ceteri ſcriptores. "In conclavium illorum uno (ut habet ille) ſepulcrum eſt, quod continet loculum, cui ineſt corpus exanime, de quo ne incolarum quidem aetate maximus aliquam habet notitiam. Summa colitur reverentia." Quibus adiicit idem: "veteres, quod certum eſt, nonnulla noverant medicamenta, quibus ſi perungebant cadavera, eaque loco ſicco reponebant, temporis iniuria illaeſa manſerunt. Et hoc corpus ea ratione unctum et curatum fuiſſe, nullum dubium eſt, quamquam ſupernaturali vi conſervatum vulgo putatur."

2. *Monumenta alia in agro Bamiano paſſim obvia.*

Tota Afganorum terra, tam receſſibus e rupe exciſis, quam reliquiis aedificiorum, lapidibus ſtructorum, abundat *s*). In ſolo agro Bamiano *t*) ad viginti millia conclavium illorum inveniuntur, quorum alia diligentiori, alia rudiori manu exciſa ſunt. Perfectiſſima

o) *Aſiat. Reſ.* p. 466.

p) Ad hanc colorum diverſitatem referenda videntur ſtatuarum nomina. Perſice enim dicuntur *Surch-But* i. e. idolum rubrum, et *C'hingh-But* i. e. idolum griſeum ſeu cinereum. Cf. HYDE. p. 132.

q) *Aſiat. Reſ.* p. 465.

r) *Aſiat. Reſ.* p. 467.

s) *Aſiat. Reſ.* p. 464.

t) The *tuman* or *tagavi* of Bamiyan. Cf. *Ayeen Akbery* p. 183.

ſima eorum inveniuntur inter *Bamian* et *Bahlac*, loco quodam, cui nomen *Mohi*. Quae enim quum praeruptiſſima montium iuga occupent, Muhamedani inhabitanda ſibi non ſumſerunt; ideoque factum, ut picturae, quibus ornati ſunt parietes, colores referant ita vividos, ac ſi nuper admodum eſſent inducti *u*). Sculpturae vero et inſcriptiones num antris inſint, non certe comperit Elphinſtonius *v*). Statuarum quoque, quamquam praeter illas tres incolumes nullae inveniuntur, fragmenta multa hic illicve ſparſa aperte docent, maximum earum numerum ibi quondam fuiſſe *w*). Duo milliaria Anglica ab agro Bamiano meridiem verſus inveniuntur rudera urbis *Ghulghuleh*, quae antiquiſſimo tempore a Muhamedanis diruta perhibetur. Reliquiae aedificiorum lapidibus ſtructorum parvum occupant montem conicae formae, in cuius ſummo apice veſtigia adhuc reperiuntur palatii veterum regum *x*). An haec rudera eadem ſint, quae Abu Fazel appellat *monumentum Zochack*, quodque conditione ſatis integra adhuc conſpici, teſtis eſt, ex verbis eius effici nequit *y*). Et omnino conciſius omnia, quae modo indicavimus, a peregrinatoribus prolata ſunt, quam ut ex iis quid certi quoad monumentorum aetatem et auctorem conſequi poſſimus. Discas tamen ex illa recenſione, quot quantaque monumenta, accuratiori examine digniſſima, ibi adhuc inveniantur. Aegre idcirco ferimus, Elphinſtonium tam parum operae antiquitatibus deſcribendis impendiſſe.

II. Scriptorum de monumentis Bamianis fides et auctoritas.

Maxime dolendum eſt, nos, quoad monumenta Bamiana, deſtitutos eſſe teſte oculari. Hydius enim, quae profert, hauſit ex libro *Pharhangh Gihanghiri* Indice conſcripto, cui auctor eſt Ebn Phacreddin Angjou, et ex libro Perſico *Maſâlik Mamâlik*, in quibus revera Orientales agnoscis, alia enim habent fabuloſa, alia in inmenſum exaggerata. Abu Fazel continet quidem nonnulla, quae ab aliis non confirmantur, fide tamen dignior eſſe videtur

u) *Aſiat. Reſ.* p. 464.
v) *Account.* p. 487.
w) *Aſiat. Reſ.* p. 467-69. ELPHINSTONE'S *account.* p. 318.
x) *Aſiat. Reſ.* p. 463. 464.
y) *Ayeen Akbery.* p. 183.

detur quam auctores praecedentes. Wilfordus usus est narrationibus peregrinatorum, cum Orientalium, tum Europaeorum, ut videtur; eorum unius, quamquam Orientalis, permagni facit testimonium. Nomen ei est Meyan Asod Schah; superiori loco natus, satis eruditus, apud omnes maximo honore cultus. Duodecies ille monumenta haec visitavit; eius narrationes uti diligentem ita et veritatis studiosissimum peregrinatorem produnt. Quod vero attinet ad Wilfordum ipsum, nullus dubito, quin maxima fide peregrinatorum narrationes nobis retulerit. Ex aliorum informatione et Elphinstonius sua hausit z), quae quidem, licet parum novi contineant, ceterorum saltem scriptorum testimonia, ex alia parte confirmant, ex alia refutant, quum adeo veritatis studiosum et accuratum toto libro se gesserit Elphinstonius. Quae quum ita sint, quamquam horum scriptorum nullus monumenta illa vidit, revera tamen ea exstare, dubitari nequit. An vero ea omnino talia sint, qualia nobis describuntur, quaestio est a nobis ad liquidum haud perducenda. In numeris saltem et mensuris, inprimis apud scriptores, quos laudat Hydius, exaggerationem obtinere, clarum mihi esse videtur.

III. *Monumentorum usus et significatio.*

Permagnus ille conclavium numerus, antrum illud vastissimum, statuae illae ingentis magnitudinis eo magis admirationem movent, quo certius est, omnia illa, quamquam in Persia reperiuntur, neutiquam tamen Persis originem debere. In aliis quoque Persiae regionibus antra subterranea inveniuntur, (sepulcra regum e monte Rachmed excisa, eiusdemque generis cryptae monumentorum Nakschi Rustam). Quae vero ut ratione, qua sunt excisa, ita et usu, cui inserviebant, plane discrepant ab antris Bamianis. Cryptae illae Persicae, quod vix dubitari poterit, domicilia vivorum non erant; monumenta Bamiana contra sepulcrorum usui non erant dicata. Domicilia subterranea, sensu stricto, Persae, quantum scimus, nulla habebant. Non obstant huic sententiae cavernae illae ad urbem Kirmanschah: ea enim ut omnibus vitae commodis et necessitatibus parum respondissent, ita domicilia perpetua non erant; licet in iis, ut supra vidimus, refrigerii causa interdum commoratus fuerit

z) Elphinstonius monumentorum mentionem iniicit, *account* p. 153. 318. 487.

fuerit rex. Quod vero ad monumenta Bamiana attinet, longe aliter sese habet res. Tota Afganorum terra cryptis illis abundat; in solo agro Bamiano eorum duodecim millia inveniuntur, quas ex maxima parte domiciliis inservisse, earum numerus aeque ac ratio satis docet. Qua de causa originem traxerint, necesse est, a populo qui antra subterranea inhabitabat. Vel ad Aegyptios vel ad Indos, si quid video, origo eorum recurrit. Originem Aegyptiacam prodere videtur mumia illa, quae teste Abu Fazelo in uno illorum conclavium invenitur. Accedit quod, ut cl. Heerenius *a*) ex Herodoto *b*), Diodoro Siculo *c*) et Strabone *d*) demonstravit, nonnulli veteres Aegypti reges Bactriam Indiamque expeditionibus petierunt. Quamquam per illa testimonia probatur, Aegyptios antiquissimis temporibus terras illas adiisse et nonnunquam fortasse occupavisse, diuturna tamen earum possessio, quae requirebatur ad talia monumenta perficienda, Aegyptiis fuisse non videtur. Nec monumenta ipsa prae se ferunt Aegyptiorum antrorum indolem: moles illa omnia opprimens, quam in monumentis Aegyptiacis ubique observas, non obvia est in antris Bamianis. E monte enim solitario, conicae formae, excisa, persublimia sunt, ita ut in aëre adeo pendere videantur. Alia prorsus est Aegyptiacorum antrorum indoles. — Quod ad mumiam illam attinet, vereor, ne argumentum, quod ex illa petere quis velit, nullum fit. Ex Abu Fazeli quidem opinione cadaver illud mumia fuit; quum vero nec corpus illud, nec antiquitates Bamianas, quod ex descriptione parum accurata apparet, proprio examini subiecerit, nemo non videt, quam lubricum sit argumentum, ex re illa petitum, cuius ne mentionem quidem iniiciunt reliqui scriptores. Sed fac, fuerit ibi cadaver, multorum saeculorum decursu haud consumtum, ne tunc quidem necessario monumentis illis Aegyptiaca origo tribuenda est. Testis est Chardinus *e*), in hodierno *Chorasan* cadavera inveniri, arena obruta, incolarum, qui ante haec decem vel undecim saecula terram illam obtinuerint. Causam vero, quod non consumta fuerint, affert Chardinus soli conditionem siccam et arenosam. Quid igitur, num pari modo vel terrae conditio vel lapidis natura (sunt enim eiusmodi

a) HEEREN'S *Ideen* II. p. 815.
b) II. 102.
c) I. p. 64.
d) XVII. p. 1171. XVI. p. 1114.
e) CHARDIN. VIII. p. 396.

modi lapides, qui obstant quominus putrefiant cadavera in iis reposita) causa fuit, ut integrum servatum sit illud cadaver? — Mons ille undique excavatus in memoriam nobis revocat inmania illa Ellorae urbis monumenta. Quibus quidem quamquam amplitudine et magnificentia longe cedunt nostra, artis saltem ratione et consilio similia sunt. Cui usui illa destinata fuerunt, eidem et nostra respondisse videntur. Urbs enim, simul cum templis et sacris, ad Indorum morem tota e rupe excisa, in monumentis illis Bamianis se spectandam praebet. Antrum illud permagnum, licet obiter tantum nobis innotuerit, de ipsius usu nos haerere non sinit. Domicilium certe non fuit, quum adeo ambitu maximum sit et luce careat. Quicunque Indorum monumenta noverit, ne tantillum quidem dubitabit templum subterraneum hic agnoscere. De anaglyphis intus obviis nihil compertum habemus. Haud dubie vero connexum habuerunt cum ea religione, cui templum ipsum addictum erat. Item res se habere videtur cum statuis illis duabus, ad templi introitum obviis. Quae quum paulo accuratius nobis descriptae sint, ordiamur ab iis nostram disquisitionem, sperantes fore, ut, earum significatione rite expedita, luce collustrentur cetera monumenta.

Statuas illas ad cavi introitum perantiquas esse, primum fidem facit regionis incolarum fama, quae, quamquam veritate destituta *f*), antiquitatem earum *quodammodo* saltem probat; deinde ipsarum statuarum conditio: licet enim ipsa rupe, e qua excisae sunt, a tempestatis iniuria satis defensae, ita tamen exesae sunt, ut, multorum saeculorum decursum expertae fuerint, necesse sit. Haud parum difficultatis in enucleanda illa quaestione positum est, quae sit statuarum significatio. Ex sola earum comparatione cum aliis figuris, de quarum significatione constat, verosimilitatem saltem assequi studebimus, cum ad certa pervenire, nostris subsidiis, vix liceat. Notemus ea, quae alicuius momenti in statuis istis occurrunt: "Ad introitum inveniuntur templi, — erecta statura, forma ingenti. — Virilis statua rubro colore picta, — vestitu similis est figuris,

f) De statuarum significatione non inter se conveniunt incolae; alii Adamum Evamque sub iis exhibitos putant: alii alios, cf. *Asiat. Res.* p. 465., et auctor libri *Pharhangh Gihanghiri* apud HYDIUM. p. 132.

figuris, quae in monumentis Nackschi-Rustam ad genua usque terra obrutae inveniuntur. — Utriusque figurae vestitus opere Phrygionio, quod vocant, variis coloribus distincto, ornatus est. — Capitis tegumentum statuae virilis simile est ei, quo ornata spectatur feminea illa figura in monumentis Rustamicis *g*)." —

Simili forma ingenti, erecta statura, duae statuae inveniuntur ad introitum templi, religioni Buddicae quondam addicti, quo superbit Salsetta insula *h*). Rubro colore oblitae sunt, caput habent coopertum. Pari modo Buddae effigies in templo quodam, Ceylonis insulae, eidem religioni addicto invenitur, quae, flavo colore picta, capitis tegumento instructa est *i*). Perpetua, si quid video, Buddae figurarum ornamenta fuerunt color quidam, quo illinebantur, lucidus, et capitis tegumentum. Cuius generis capitis tegmen fuerit in statuis Bamianis, discimus ex Wilfordo, quo teste *k*) respondet illi, quo ornata est figura illa feminea *l*) in monumentis Rustamicis. Quod si comparaveris cum capitis tegumento, quod habet Buddae figura, cuius effigiem, secundum picturam Indicam templi Iagrenat, ex Museo Borgiano desumtam dedit Paulinus *m*), insignem observas utriusque ornatus similitudinem. Hinc, si quid video, prodit similitudo figurae Bamianae cum effigie Buddae Paulini. Figura Bamiana praeterea unam manum versus os porrigit, alteram vero e transverso pectori praetendit. Et in hac re similis est ex parte aliis Buddae figuris apud Paulinum. Quae cum ita conveniant, Bamianas statuas pro Buddae imaginibus habeo. Quum vero inter ipsas statuas et templum, ad cuius introitum sitae sunt, nexus haud dubie intercedat arctissimus, templum ipsum Buddae religioni sacrum fuisse, nullus dubito. Quae quidem sententia per se, ingenue confiteor, satis lubrica, aliis argumentis insigniter firmatur. Non solum fama Bamiani incolarum, sed etiam sacri libri Buddae sectatorum urbem illam omnis puri et sancti fontem habent, eamque nomine appellant *Para-Bamian* vel *Scharma-Bamian*,

g) *Asiat. Res.* p. 465. 66.
h) Valentia's *travels* II. p. 196.
i) Mss. Graham, *Journal of a residence in India.* p. 89.
k) *Asiat. Res.* p. 465.
l) De Bruyn IV. p. 363. Tab. 169. ed. Amstelodam.
m) Paulino a St. Bartholomaeo, *Syst. Brahm.* Tab. XX.

mian, h. e. *pura et sancta urbs* n). Maximae est antiquitatis, et Buddae sectatorum ab antiquissimo tempore metropolis habetur; hinc cognomen traxit *Budda-Bamian* o). Quae quum ita sint, quumque peregrinatores adeo, et Indicarum rerum instructissimi similitudinem inter haec et Indica Buddae religionis monumenta observasse sibi videantur p), non sine omni verosimilitatis specie colligas, credo, Bamiani urbis incolas primis temporibus Buddae sectatores fuisse, antrum vero illud inmane templum effecisse Buddicae religioni addictum.

IV. Ad quam aetatem referenda sint illa monumenta?

Vulgo praedicatur urbs Bamian sedes parentum humani generis, atque ante diluvium Mosaicum exstitisse putatur. Quae fama, cum Persarum, tum Indorum sacris libris firmata, aeque omni argumento caret, quam quod Wilfordus habet, ante Ninum eam exstitisse q). Buddae religionis historiam si percognitam haberemus, aetas monumentorum certo fortasse effici posset; de ea vero quum tam pauca modo et parum certa nobis constent, praetereaque omni huius terrae antiqua historia destituti simus, in eo erit quiescendum, ut verosimilitatem assequi studeamus. — Annus, quo exstitit Budda, ab aliis alius affertur: modo 1366, modo 1036, modo 959 habetur r). Quod ita sibi expedit Ionesius, ut plures accipiat, qui huius religionis praeceptores exstiterint. Fide digna esse videtur haec sententia, quum *Budda* nomen sit appellativum, et, secundum Ionesii praeceptoris Indici testimonium, *virum sapientem, philosophum* significet s). Annum, quo Buddae religio diversa a ceteris secta exstitit, circa annum circiter millesimum ante Chr. n. constituit Ionesius. Per magnam ea propagata est Indiae partem; quum vero repugnaret ceteris sectis, inprimis vero religioni Brahmanicae, expulsi sunt Buddae sectatores ex interiori India. Quo facto, cum ad Indiae terras remotissimas, tum ad alias terras extra Indiam sitas, se contulerunt. Ceylon et Salsetta insulae ab iis occupatae sunt. Inprimis vero septentrionales regiones petierunt, Thibetum scili-

n) *Asiat. Res.* p. 494.
o) *Asiat. Res.* p. 462.
p) ELPHINSTONE'S *account* p. 487.
q) *Asiat. Res.* p. 470.
r) IONES'S *works*. I. p. 29.
s) IONES'S *works*. I. p. 293.

scilicet et Chinam adeo. Praeter alias terras, et hodiernum *Kaschmir* adierunt, ubi, teste Abu Fazelo *t*), multi ad Buddae religionem transierunt. Quae quum ita sint, Bactrianam quoque adiisse Buddae sectatores, idcirco perquam verosimile est, quod antiquissimo tempore cultura eminuit, quae vix aliunde quam ex India ad eam pervenire potuit. Accedit, quod multa in Bactriana inveniuntur monumenta, haud dubie Indicae originis *u*). Num fortasse hi ipsi Buddae sectatores India expulsi effecerunt, ut Bactria luce culturae Indicae collustraretur? De tempore, quo Buddae sectatores ex India emigraverint, nihil certi iam constat; ex omni tamen huius rei silentio (Indi enim ipsi de ea nihil in sacris suis libris constare affirmant) *v*) hoc saltem concludi posse videtur, expulsionem istam ad remotissima tempora recurrere, et nostrum historicum, quod vocamus, aevum longe excedere *w*). Quum vero inde, ut mihi videtur, constitui debeat monumentorum nostrorum aetas, clarum est, nec hanc certe et distincte nostris subsidiis attingi posse. Non sola tamen verosimilitate nititur, si quid video, monumenta nostra vere esse Indica, h. e. a populo perfecta, qui ex India quondam huc immigravit, deinde, antiquitate ea omnia, quorum iam notitiam habemus, Persiae monumenta longe post se relinquere.

CAPUT III.

Monumenta in Sarangaeorum terra obvia.

Ariae et Bactrianae versus meridiem, Carmaniae et Gedrosiae versus septentrionem sita erat *Sarangaeorum* vel *Zarangaeorum terra*, hodierno nomine *Seistan* dicta. Quamquam amplitudine plurimis Persiae terris cedebat, florens tamen et dives erat, si quae alia

Fluvius

t) *Ayeen Akbery*. T. II. p. 459.

u) ABU FAZEL, *Ayeen Akb.* II. p. 159. 173.

v) HEEREN'S *Ideen* I. 2. p. 437.

w) De Buddae religione cf. quae dedit vir in rebus Indicis totus, *Hallesche allgemeine Literatur Zeitung*. 1816. Nr. 234. p. 268.

Fluvius satis magnus *Elymander*, nunc *Hindmend* dictus, inundationibus suis terram fecundabat. Antiqua fuit heroum carminibus Persarum celebratorum sedes: Schemschides, ex ea oriundus, magnam ibi vitae partem transegit, dum, inde progressus, urbem *Istakar* conderet. Rustamus in sumtum assignatam hanc terram a Persarum regibus accepit, eamque tum demum reliquit, quum contra Afrasiabum et Turcos moveret *a*). Rustami monumentum in Segestana invenisse et evertisse narratur Tamerlanus *b*). Quae quidem omnia, licet fide historica destituta sint, confirmant saltem, quod ex aliis testimoniis colligitur: terram istam antiquitus inclaruisse et cultura eminuisse. Nam teste Herodoto *c*), Sarangae in Xerxis exercitu decori erant vestibus versicoloribus, armis vero utebantur Medicis. Artes igitur Sarangae exercuerint, necesse est. — Huius terrae, cuius vix unus alterve scriptorum recentiorum mentionem inciicit, paulo meliorem cognitionem debemus Britanno illi Christie, quem diro fato in Persia occubuisse, valde lugemus. Ex eius diarii epitome, quae habetur apud Pottingerum, constat, regiones fluvio Helmind proximas solas iam esse cultas. Terra vero prioris culturae et splendoris haud pauca prae se fert indicia. Multa enim in illa via, quam inde ab urbe *Rodbar* usque ad *Dustchak* confecit Christie, urbium et castellorum satis splendida invenit rudera *d*).

1) Kykobad.

Quinque milliaria Anglica ab urbe *Rodbar* occidentem versus, rudera arcis et murorum urbis *Kykobad* (61° 53′ longit. 30° 39′ lat. secundum Pottingeri mappam) admirationem movent *e*). Praeter castellum quadrata forma et muros terraceos nihil fere restat.

2) Kuliput *f*),

(sita sub 61° 36′ long. et 30° 46′ latit.) palatio superbit statu satis integro.

a) D'HERBELOT, *bibliotk. orient.* s. v. Segestan.

b) *Histoire de Timur-Bec* I. p. 370. "Lorsqu'on fut arrivé sur le bord de la riviere de Hirmen, (idem fluvius qui Helmind) on détruisit l'édifice nommé la *Digue de Rustem*; et il ne restat aucun vestige de cet ancien monument."

c) VII. 67.

d) POTTINGER'S *travels* p. 407.

e) Ibid. p. 408.

f) Nomen scriptum exhibet Christie: Kuleeput.

integro. De urbis situ et conditione nihil certi comperit Christie; nec urbem ipse vidit, viatoris enim culpa a via aberravit *g*).

3) Pulky *h*),

(sub 61° 36′ et 30° 55′ latit.) spectandas praebet reliquias urbis quondam maximae et florentissimae. Adsita est fluvio *Helmind*, cuius ripae hac parte uberrimae sunt.

4) Iulallabat vel Duschak.

(sita sub 61° 14′ longit. 31° 26′ latitud.) Reliquiae veteris urbis hoc loco sitae spatium obtinent aeque magnum ac urbs Isfahan. Recentior urbs est sub principe quodam *Bahram Chan Kyany* ex antiqua gente oriundo.

Quamquam ex his omnibus vix quid certi colligi potest, hoc saltem ex Pottingeri notitia clarum est, restare in his regionibus, quae antiquitatem prae se ferunt satis remotam, quaeque accuratiori examine haud indigna sunt *i*).

SECTIO II.

Regiones meridionales seu Gedrosia et Carmania.

Praemonenda.

Quae fuerit veterum Gedrosia et qualis eius natura, optime nos edocet Strabo *a*). "Post Indiam versus occasum flectentibus, montibus ad dextram servatis, regio occurrit perampla, male culta ob infeli-

g) POTTINGER. l. c. *h*) Poolkee e scriptura Christii.

i) De Sarangaeorum terra cf. quoque KINNEIR, p. 191.

a) p. 192.

infelicitatem soli, ab hominibus plane barbaris et diversarum nationum, qui Ariani dicuntur." Paulo meliori conditione fuit Carmania, iis saltem partibus, quibus attingebat Persidem, plerumque vero Gedrosiae non dissimilis. De Gedrosia parum tantum innotuisse videtur cum Persis ipsis, tum Graecis Romanisque. Quae saltem de eius natura viguerit opinio, satis demonstrat expeditio Semiramidis, quae ex India fugiens, cum viginti tantum hominibus e toto exercitu evasisse tradebatur *b*). Quae expeditio utrum vera sit, an ad modum verae composita, eatenus saltem historica est habenda, quatenus inde regionum istarum discimus naturam, absurdum quippe foret huic contraria fingere. Accedit quod ista narratio insigniter firmatur per aliud testimonium, secundum quod Cyrus, ex India per has terras redux, cum septem tantum hominibus interitum effugit *c*). Inprimis vero haec omnia suam vim recipiunt per iter illud Alexandri, qui, cum pedestri exercitu ex India per mediterraneas terras Pasargadas versus tendens, omnem fere viam per deserta arenosa, aqua parce tantum provisa, ingenti suorum clade confecit. — Haec ipsa soli conditio causa est, quod nihil nisi generalem interioris terrae imaginem tenemus. Orae maris rubri inprimis per Alexandri iter e tenebris suis protractae sunt; parum lucramur illa expeditione ad terras mediterraneas percognoscendas: hoc enim iter, propter aquae et frumenti, qua urgebatur, inopiam, quam maxime accelerare cogebatur. Post Alexandrum nemo vel Graecorum vel Romanorum has terras adiit. Aeque ac geographia, historia quoque istarum regionum nos latet. Cuiusvis alius terrae Satraps saltem innotuit, Gedrosiae satrapis ne nomen quidem tenemus. Hoc saltem tam ex terrae conditione, quam ex Strabone *d*) patere videtur, incolas nunquam paulo elatiori culturae gradu conspicuos fuisse. Ex recentiori harum regionum descriptione, quam Pottingero *e*) debemus, discimus, incolas Balutschorum nomine et nunc quoque pristinam vitae rationem servare. Vix speraberis, multa in his regionibus inventum iri monumenta attentione digna.

CAPUT

b) ARRHIANUS. VI. 24.

c) ARRHIANUS l. c.

d) p. 192. 1050.

e) POTTINGER'S *travels in Beloochistan and Sinde.*

CAPUT I.

Monumenta ad urbem Nusky.

Tria milliaria Anglica ab agro urbis *Nusky* (sub 65° 45' longit. 29° 54' lat.) praeterivit Pottingerus monumentum singularis structurae, quod appellat *Gumbuz* a). Situm obtinere perhibebatur urbis ditissimae et antiquissimae, cuius quidem, praeter illam aediculam, nullum aliud indicium iam restat. Saxis, ut videtur, structa est, quamquam a montibus, qui ea suppeditare possent, procul distat. Longius ab ea affuit Pottingerus, quam ut architecturae indolem, et materiae, qua structa erat, naturam accurate examinare potuisset. Admiratione dignum praedicabatur cementi genus, quod duritie par esse contendebatur marmori b).

Pottingero paululum progresso attentionem moverunt lapides nonnulli permagni, viginti vel triginta ulnarum spatio a se invicem disiti. Ex Persarum opinione Rustamus eos disposuit, ut viam designaret, qua equo citato vectus fuerit. Ridiculam hanc explicationem iure reiecit Pottingerus; quo vero consilio hi lapides a vicinis montibus delati sint, se non efficere potuisse contendit: magno labore et multis impensis hoc fieri tantum licuisse, auctor est idem. Lapides enim forma erant quadrata, eorumque singula latera sex septemve ulnas efficiebant c).

Trium dierum iter ab hoc loco meridiem versus praeterivit Pottingerus rudera tumulorum insolentis figurae, quadringentarum ulnarum spatio a flumine *Bale* occidentem versus dissitorum. Quadrata erant forma, eorumque singulum circumdatum erat muro, ex caesis lapidibus structo. Interior tumuli pars quatuor vel quinque ulnarum quadratarum spatium explebat. Tumuli frons et introitus orientem versus spectabat. — Colles praeterea nonnulli terracei et lapidei per magnam planitiei partem sparsi erant, sed valetudinis mala

a) POTTINGER's *travels* p. 123. "Three miles from the Toomun (of *Noosky* sc.) we passed a *Goombuz* or *cupola*." Intelligo aedificium rotunda forma.

b) POTTINGER. l. c. c) POTTINGER. l. c.

mala conditione et tempestate pluvia impeditus est auctor, quominus accuratius eos examinaret. — Pottingeri viator originem horum monumentorum ad Gabrorum *d*) tempora referebat. Neque Indorum neque Muhamedanorum architecturae indolem in iis observasse sibi visus est Pottingerus. Omnia summam antiquitatem prodebant; quamquam ex durissimo lapide constructa, nihilo secius tamen temporis iniuriam quam maxime experta erant. Notatu dignissimum est, quod *Murad Chan* Pottingero narravit, nullum esse totius provinciae lapidem parem iis, quibus constructa essent illa aedificia, quorum similia iam temporis nulla exstruere possent incolae. De eorum consilio dubitat Pottingerus, utrum sepulcra fuerint an religioso usui destinata. Editus enim locus qui in parte interiori est, tam sepulcri speciem, quam formam arae in pyreis obviae quodammodo habet. Ex eorum numero permagno apparere videtur, sepulcra ea fuisse *e*). Eo magis notatu digna sunt haec monumenta, quo minus talia in his regionibus inventum iri exspectaveris. Ad Indos originem eorum referrem, ni claris verbis dixisset Pottingerus, nihil architecturae Indicae in iis contineri. Quum in extremis Gedrosiae versus septentrionem finibus sita sint, Gedrosia ipsa vero nunquam cultura eminuerit, Zarangaeorum terra fortasse hucusque pertingit quondam; a Zarangaeorum enim, qua conspicui fuisse videntur, cultura, non abhorret talium monumentorum exstructio. De eorum usu et consilio, priusquam accuratiorem descriptionem et, si fieri potest, delineationem nobis dederint peregrinatores, plura hallucinari, res foret vana et inutilis. Quum enim omni istarum regionum historia destituti simus, monumentum ibi inventum per semet ipsum explicari debet.

Gabri h. e. *Infideles* appellantur Zoroastris sectatores.
POTTINGER's *travels*. p. 127.

Index

Index monumentorum chronologicus *).

I. Monumenta summae antiquitatis, ante Cyrum, 560.

ante Chr. n.

Semiramidis statua et columna, p. 115.

Semiramidis opera in Armenia, p. 160.

MONUMENTA URBIS BAMIAN, p. 176.

ECBATANA, Deiocis opus, p. 145. 710-657

Zarinae sepulcrum, p. 174. 600

SUSA, p. 91.

II.

*) Nomina, quae a margine paulo removi, monumenta indicant, quorum aetatem in universum modo efficere potui. Reliqua artis opera, exceptis iis, quae, ultimo loco allata, dubiae omnino sunt aetatis, ita constitui, ut plerumque regis, ad quem pertinebant, notarem imperii annos. Vocabula literis curvis, quae vocant, impressa, monumenta designant, quae vel plane interiere, vel nondum inventa sunt.

ante Chr. n.

II. Monumenta Persarum.

1. Ex Achaemenidarum aevo:

Pasargadae et Cyri sepulcrum, 62. 69. . . . 560

MESCHID - MADER - SULEIMAN (ad vicum Murghâb), rudera cum inscriptione cuneiformi, quae Cyri nomen exhibet, p. 61. 560

PERSEPOLIS, TSCHIL - MINAR, p. 20. 522–586

NACKSCHI - RUSTAM, regia mausolea (βασιλικαὶ θῆκαι), p. 29. 465–334

MONUMENTA RUDERIBUS TSCHIL - MINAR FINITIMA, p. 22.

VETUS PYREUM, e regione monumentorum Nackschi-Rustam, p. 29.

MESCHID - MADER - SULEIMAN (ad urbem Schiras), p. 73.

FASA, urbis rudera et literae cuneiformes, p. 76.

DARABGERD, urbis (Darii?) rudera, p. 77.

BISSUTUN, anaglyphum et sepulcri facies, p. 140. 142.

GAZA, p. 157.

post Chr. n.

2. Ex Arsacidarum aevo:

BISSUTUN, anaglyphum et inscriptio, p. 141. . 47

3.

post Chr. n.

3. E Saſſanidarum aevo.

NACKSCHI-RUSTAM, anaglyphum Artaxerxem ſiſtens, p. 37. 226-239

FIRUZABAD, urbis reliquiae, p. 78. 226-239

NACKSCHI-RUSTAM, anaglyphum Saporem I. exhibens, p. 47. 240-270

NACKSCHI-RADJAB, anaglyphum, p. 52. . . 240-270

SCHAPUR, urbis rudera, anaglypha, p. 85. . . 240-270

SCHUSTER, urbis reliquiae, p. 98. 240-270

NACKSCHI-RUSTAM, effigies Hormisdae (?), p. 38. 271-272

AHWAZ, urbis rudera, p. 99. 302-308

TAK-BOSTAN, effigies Saporis II. . . . 309-380

et Saporis III., p. 126. . . 385-389

TAK-KESRA, palatium Cosrois, p. 105. . . 532-579

MURUS CAUCASIUS, p. 169. 532-579

KHESER-SCHIRIN, p. 106. 590-628

NACKSCHI-RUSTAM, anaglypha, p. 45. 46. 48.

MESCHID-MADER-SULEIMAN, aedicula ſingularis ſtructurae, ſepulcrum e Saſſanidarum tempore (?), p. 62.

KADEMGAH, anaglypha, p. 74.

TAK-BOSTAN, ſtatua equeſtris, p. 132. aliaque anaglypha, p. 135. 136.

BISSUTUN, columnae apex, inſcriptio, p. 141.

post Chr. n.

III. Monumenta incertae aetatis.

NACKSCHI-RUSTAM, duae turres, Selgi Salmum dictae, duae arae, p. 49.

KENGAVER, urbis reliquiae, p. 143.

GAMARGA, urbs, p. 159.

MONUMENTA IN SARANGAEORUM TERRA OBVIA, p. 185.

MONUMENTA AD URBEM NUSKY, p. 189.

Index

Index rerum.

A.

Aegypti reges Bactriam Indiamque expeditionibus petierunt, pagina 181.
Aegyptii in monumentis Persicis, teste Moriero, exhibiti, 86.
Afganorum terra cryptis subterraneis et reliquiis aedificiorum abundat, 178.
Agger Gogi et Magogi, 166.
AHWAZ *), 99.
Ἀκινάκης, 53.
Amani et Anandrati templum, 175.
Anaitis a Graecis modo Diana, 92. modo Venus vocata, 152. Anaitidos templum Susis, 92. Ecbatanis, 151.
Ἀναξυρίδες, 53. 72. 87.
Anatemes regulas in sculpendi arte negligunt Persae, 89.
Annulus aeternitatis symbolum, 132. Diadematis signum, 40, 87. Aditionis imperii symbolum, 41.
Anschaspand, 130.
Aquae numen, 131.
Aquila regale in bello signum, 46.
Arduisur, preces ei habitae, 131.
Aria, 172.
Arsacidarum in monumentis vestigia, 140.
Artemidos templum, 136.
Artis Graecae et Persicae commistio, 137.
Aula diabolorum, 54.

B.

Bab-al-abwab, 167.
Bactra, Balch, 173.
BAMIAN, 176.
Barba crispa et promissa, 44.
Bendemir veterum Araxes, 16.
BISSUTUN, 107. 138.
Braccae v. ἀναξυρίδες.
Budda vir sapiens, philosophus, 184. Buddae figurae, 183. Templum Buddicae religioni addictum, 183.
Bulla tiarae superstructa, 44.

C.

Canis animal sacrosanctum, 18.
Capillus Sassanidarum largus et crispus, 44.
Capillus Arsacidarum in floccos et cincinnos artificiose compositus, 44.
Capitis regumentum, magna de eo confusio. 42.
Carmania, 187.
Cataphracti milites, iidem et Clibanarii dicti, 132.
Chauneh-Dara, 5.
Cidaris, 45. 134.
Columnae apex e Sassanidarum aevo, 141.
Cornu copiae, 132.
CYRI SEPULCRUM, 69.
Cyrus fluvius idem qui Araxes, 58.

D.

*) Nomina literis capitalibus, quas vocant, impressa capitum titulos indicant.

D.

Danielis turris Ecbatanis, 152.
DARABGERD, 76.
Darii sepulcrum, 17.
Dastajird, palatium, 106.
Derbent, 163.
Diabolorum aula, 54.
Diadema, regium 44, duplex 52.
Dianae templum Susis, 92.
Diversorii rudera, 23.
Domicilia subterranea Persae non habebant, 180.
Δορυφόροι, 18.
Duschak,

E.

ECBATANA, 144.
Equites duo annuli figuram tenentes quid significent, 40.
Eulaeus fluvius idem qui Choaspes, 94.

F.

FASA, 75.
Feminarum imagines an in monumentis obviae?, 47.
Ferhad sculptor Pers. clarissimus, 117. 123.
Feruer, 18.
Figurae femineae Graecorum Geniis haud dissimiles, 130.
FIRUZABAD, 77.

G.

Galea totum hominis caput operiens, 133.
GAMARGA, 160.
GAZA, 157.
Gedrosia, 187.
Ghulghuleh, 179.
Gloria caput cingit, 135.
Goarzir, ut videtur, monumentum, 141.
Gurj-Nauma, 154.
Gynaeceum Schemschidis, 24.

H.

Hamadan, 154.
Harsin, 107.
Hecatompylos, 172.
Hezar-Sutun, 5.
Hieroglypha Aegyptiaca in Persia inventa, 96.
Homai reginae palatium, 24.

I.

Inscriptio, in Cyri sepulcro, 71. in Darii sepulcro, 18.
Inscriptionis Graecae e tempore Arsacidarum vestigia, 141.
Inscriptiones cuneatae, 21. 26. 61. 140. 154. Inscript. cum addita alius linguae versione, 22.
Inscriptiones Sassanidicae, 125. 139. Ex versione Graeca, 37. 51.
Iran indicat Persiam, 37.
Istakar, 23.
Iulallabat, 187.
Ized, 131.

K.

KADEMGAH, 74.
Κάνδυς, 87.
KENGAVER, Concabar, 143.
KHESER-SCHIRIN, 105.
KIRMANSCHAH, 107.
Καλύνη lectica, 72.
Kuliput, 186.
Kykobad, 186.

L.

Lancea praelonga, 134.
Literae cuneiformes, v. inscriptt. cuneatae.
Loculi Persarum pretiosi aeris, 27.
Lorica, 134.
Luna, 132.

M.

Μαντιανὴ λίμνη, 162.
Μασδάσνος, 37.

MARA-

MARAGA, 159.
Μηλόφοροι, 46.
Media Magna, 100. Atropatena, 136.
Meru, 173.
MESCHID - MADER - SULEIMAN ad vicum Murghâb, 53.
MESCHID - MADER - SULEIMAN ad urbem Schiras, 73.
Miana, rudera, 158.
Monile gemmis et margaritis ornatum, 52.
Mumia, in cryptis Bamianis, 178. Mumiae in Chorasan inveniuntur, 181.
MURUS CAUCASIUS, 163.
Murus Bicornis, v. Gogi et Magogi murus.
Muri Ecbatanorum ad planetarum rationem comparati, 149.
Muscarium, 135.

N.

NACKSCHI-RADJAB, 50.
NACKSCHI-RUSTAM, 24.
Nischapur, 173.
Nerez, 14.
Nuncius ex Anglia allatus de inscriptionibus cuneatis, 22.
Nusky, 189.

O.

Ocreae, 134.

P.

Palatium Schemschidis, 14.
PASARGADAE. 56. 62.
PERSEPOLIS, Tschil-Minar, 4.
Persis, 1.
Pharetra immensae magnitudinis, 46.
Picturae in antris Bamianis, 176.
Pileus turritus, 86.
Planetae symbolice repraesentati, 149.
Portae Caucasiae et Caspiae confusae, 163.
Pulky, 187.
Πύλος, 70.
Pyreum vetus, 29.

R.

Rachmed, mons regius, mons duplex, 17.
Romani Persicis anaglyphis exhibiti, 85. 88.
Romanorum vel Graecorum ars in monumentis Persicis conspicua, 89.
Rustami monumentum in Seistan, 186.

S.

Sarangaeorum terra, 185.
SCHAPUR, 78.
Schabdiz, 120.
Schirin, 117.
SCHUSTER vel Tuster, 97.
Scutum forma rhomboidea, 134.
Selgi - Salmum, 49.
SEMIRAMIDIS OPERA in Armenia, 100. statua et columna, 115. opera prope Ecbatana, 155.
Sepulcra regia, 17. ad montem Bissutun, 140. ed vicum Sahaneh, 143. regum post Xerxem, 25, 29. regum Ecbatanis, 145.
Sol, Mithras, 18.
Sufiana, 89.
SUSA, 90.

T.

Tacht - Schemschid, 5.
TAK BOSTAN, 107, 110.
TAK-KESRA, 101.
Templum subterraneum urbis Bamian, 178.
Θήκαι βασιλικαί, 29.
Thesauri regum in sepulcris, 28.
Thorax, 134.
Tiara, diversa eius genera, 43. recta, 43. in acutum desinens, 45. involuta et in frontem demissa, 86. cum ingenti globo, 44, 136. alis instructa, 136. vittis et fasciis ornata, 44. praefixam habet figuram lunae falcatae, 136.

Tituli

Tituli Saſſanidarum, 87, 44.
TSCHIL-MINAR, 5.
Tunica manicis inſtructa, 45.

U.

Umbrella, 135.
Unicornu, 18.

V.

Valerianus ſupplex Sapori ſe ſubmittit, 85.
Veſtis Medica, 44, 72.
Victoriola, 86.
Vivarium, 129.

Z.

ZARINAE SEPULCRUM, 175.
Zochack, monumentum, 179.
Zona, 53, 141.

CORRI-

CORRIGENDA.

Pag.	Lin.	
5.	35.	lege pro pilchrimes: pilgrimes.
15.	29.	— — l'instutut: l'institut.
19.	10.	— — Aleander: Alexander.
20.	27.	— — exequerentur: exsequerentur.
28.	4.	— — momumentum: monumentum.
33.	2.	— — ignoscas: ignoras.
43.	19.	— — Sassanidatum: Sassanidarum.
45.	19.	— — persuasissimum: persuasissimum.
47.	16.	comma post Sassanidae deleudum.
—	27.	lege pro 240: 240.
67.	4.	— — mortes: montes.
86.	9.	— — exhibitur: exhibetur.
88.	34.	— — Sbholiasta: Scholiasta.
89.	9.	— — Valeoriana: Valeariano.
90.	11.	— — monumenti: momenti.
93.	18.	— — Susu: Susa.
122.	10.	— — affigies: effigies.
128.	35.	dele: colligendum puto.
148.	13.	lege pro ex ea aëre: ex aere.
151.	33.	— — ed. Hupf. ed. Hudf.